

REUSNER, SABANCORUS, NICOLAUS JOHANNIS

Nicolai Sabancori Tractatus de
testamentis condendis, ...

1613

EOD - Miljoner böcker bara en knapptryckning bort. I mer än 12 europeiska länder!



Tack för att du väljer EOD!

Europeiska bibliotek har miljontals böcker från 1400- till 1900-talet i sina samlingar. Alla dessa böcker går nu att få som e-böcker – de är bara ett musklick bort. Sök i katalogen från något av biblioteken i eBooks on Demand- nätverket (EOD) och beställ boken som e-bok – tillgängligt från hela världen, 24 timmar per dag och 7 dagar i veckan. Boken digitaliseras och blir tillgänglig för dig som e-bok.

EOD bokens fördelar!

- Få samma utseende och känsla som med originalet!
 - Använd ditt standardprogram för att läsa boken på skärmen, zooma och navigera genom boken.
 - *Sök:** Använd fulltextsökning för enskilda fraser.
 - *Klipp & klistra:** Kopiera bilder och delar av texten till andra applikationer (t.ex. ordbehandlingsprogram).
- *Ej tillgängligt i varje e-bok.

Villkor för användning

Genom att använda EOD-tjänsten accepterar du de villkor som ställs av biblioteket som äger den aktuella boken.

- Villkor för användning: <https://books2ebooks.eu/csp/sv/nls/sv/agb.html>

Fler e-böcker


Redan nu erbjuder 40 bibliotek från 12 europeiska länder denna service. Sök böcker tillgängliga för den här tjänsten: <https://search.books2ebooks.eu>
Mer information finns tillgängliga via <https://books2ebooks.eu> boken.





Dr. Sandl.
För 1700
Jun.


F 1700
—
3457











NICOLAI SABANCORI
TRACTATUS
DE
TESTAMEN I IS
CONDENDIS,
QUI NON SOLUM TESTA-
TORIBUS, verumetiàm reliquis
omnibus, & utilis &
necessarius.

JURA VIGILANTIBUS NON DOR-
MIENTIBUS SUNT SCRIPTA.
l. 24. ff. qua in fraudem credit.



STOCKHOLMIÆ
Christopherus Reusnerus impressor.

Anno 1613.

NICOLA SARTORI
TRACTATUS

DE

TESTAMENTI
CONDENDIS

QUINON SODIT

LIBRIS, VINCIBUS, ET
CAMPUS, ET
HOC EST

IN VINCIBUS NON DO

MINIBUS SUI

ET

LIBRIS

ET

ET

ET

ET





SERENISSIMI ET POTENTIS
sumi Principis ac Domini,
DOMINI
GUSTAVI ADOLPHI,
Regnorum Sueciæ, Gothiæ, Wandalæque, &c.
REGIS Designati, & Principis Hereditarij, &c.
Magni Ducis Finlandiæ; Esthoniæ, Wesman-
niæq; &c. Principis; Nec non dictorum
Regnorum Consiliario &
CANCELLARIO:

MAGNIFICO, GENEROSO AC
Literatissimo Baroni,

DN. AXELIO Ochsenstiern/
DE Stholm / &c.

FAVORI AC PROMOTORI SUO
omni observantiæ cultu prosequendo.

S. P.

GENEROSE BARO, T. Generositati liquidò
constat, quòd in omnibus Imperijs, Regnis, Re-
buspublicisq; benè constitutis, prima cura semper fuit,
ut diligenter jus sanciretur: Et qua Imperia, Regna &
Respu-


2
 Respublica florentissima fuerunt, in ijs ius semper di-
 ctum, cultum, seruatumq; est quàm diligentissime; in
 ijsdemq; Juris bene constituti, magno in honore semper
 fuit cognitio. Unde sapientissimi & principes viri
 cum doctrinâ, tum multarum ac magnarum rerum usu
 docti statuunt, nullam Rempublicam absq; iustitiâ, &
 proinde sine legibus & certo jure stare posse: imò nec
 ulla familia potest, aut ullus hominum convictus inter
 se. Exemplo est hæc testamentaria ratio: Si etenim
 legibus non esset impuberibus, prodigijs & furiosis bono-
 rum suorum administratio interdicta, bona sua ob judi-
 cij inopiam, dando, alienando, lacerando & dissipan-
 do profunderent: Si delinquentibus non esset testa-
 menti factio prohibita, plures mali qui sunt pestes Rei-
 publicæ, quàm boni extarent: Si Arianis, Apostatis,
 Anabaptistis & reliquis hereticis non esset vetitum
 heredes instituere & institui, donare & donari, conver-
 sationem cum religiosis habere & è converso, multa exe-
 crabiles Sectæ & Religionis in unâ Republicâ orirentur.
 Ex quibus odia, inimicitias, rixas, seditiones & bella;
 hisq; tandem hominum interitum & totius Republicæ
 eversionem sequi necessum est. Hanc testamenta-
 riam rationem sive materiam ex diversis juribus; par-
 tim Divino, partim Canonico, partim Romano, par-
 tim verò Sueonico, in brevem tractatum congesti, com-
 pre-

prehendendo in hoc Testamentorum originem; Antiqua Testamentorum Genera, eorūq; successivam mutationem: Hodierna Testamentorum Genera, in publica & privata divisa: Privata in Solemnia & Minus Solemnia: in Solemnibus quinq; requisita: In primo, testantis personā; Secundo, testium adhibitionē; Tertio, Res testamenti, videlicet Institutiones aut Exheredationes personarum sanguine conjunctarum, & Institutionem extranearum personarum, Substitutiones, Legata, Fideicommissa, Tutelationes, & Manumissiones; Quarto, Testatoris & Testium contestationem; Quinto, testamentorum infirmationem: Minus Solemnia, in Codicillos & Militare. Huncq; tractatum T. Generos. cum ob exactissimam tam jurisprudentiæ quàm S. S. Theologiæ & Historiarum cognitionem, tum ob singularem benevolentiam & amorem erga optimarum literarum studia favenda, promovendaq; submisit dicatum & consecratum volo. Itaq; T. Generos. ut hunc eundem T. Generos. hilari animo accipere, me, meaq; studia promovere velit, humiliter rogo. DEO ter Opt. Max. ardentibus votis precor, ut T. Generos. diu incolumem clementer protegat & conservet. Hisce T. Generos. felicissimè valeat. Data Stockholmiæ, 4. Iduum Martij Anno 1613.

T. Generos.

Observantis.

Nicolaus Sabancorus.



DE
TESTAMENTIS
condendis.



Variis multis modis, & naturali & Civili jure, domi-
nia rerum nobis acquirantur: *toto tit. ff. de acquir. rer.
dom. & Inst. de rer. divis. cum seqq. tit.* tamen, cum
modus succedendi ex testamētis sit omnibus Natio-
nibus admodum frequens, & nulla juris Civilis pars
usibus humanis accommodatior quam hæc una Testamētorum Na-
tio, quod supremam hominis voluntatem, & illius nunquam redi-
turum arbitrium contineat, quæque circa earum rerum dispositio-
nem, quas nostrâ diligentia ac labore nobis paravimus, versari præ-
cipue soleat. Unde jam hanc testamentariam materiam brevi-
ter tractandam, explicandamque suscipiam. Ne autem illotis,
ut ajunt, manibus rem ipsam aggrediar, cum primis itaque ope-
ræ precium est, ut aliqua de antiquâ testamentorum origine præmit-
tam; dehinc quid sit testamentum, unde dicatur, & quot sint ejus
species, quibusque observationibus, quæque earum fiat, obiter ac di-
lucide indicabo.

Sciendum est igitur, quod cum omnipotens DEUS cuncta
in mundo creasset animalia, ipsaque cibo & potu indigere voluisset,
omnia in mundo creata hominibus subjecit, statuens, post lapsum
Adæ, ut in sudore vultus sui, & cum labore pane suo homines ipsi
vesceren-

velcerentur: *Gen. cap. 1. 2. & 3.* Eapropter cœperunt ipsi jure naturali inducti pro perpetuatione suâ, & conservatione generum, communiter universâ terrâ utentes, ex fructibus ejusdem, & venationibus victum, & vestitum sibi querere: dominiumque eorum pro majori commoditate sibi parantes: cumque cognoscerent liberos suos eisdemque indigere debere: post mortem suam dominium omnium rerum ad victum & vestitum pertinentium in eisdem transferre. Ex eo factum est, ut successio liberorum testandi que facultas pro rebus ad cibum & vestitum pertinentibus jure naturali primævo introducta fuerit. *Isidorus cap. 1. distinct. 1.*

Crescente postea in dies natorum multitudine & per diversas Regiones migrante, ex generali hominum usu jus gentium, quo Gentes omnes utuntur, introductum fuit: Indeque dominia terrarum & cæterarum rerum adinventâ fuere distincta per Regiones: Regna constituta; Civitates conditæ; Ædificia collata; Commercium hominum cognita; Pacta servata; Omnesque penè contractus introducti: *l. 5. ff. de just. & jur.*

Cumque de rebus omnibus dominia homines haberent, & de ijs commercia, & contractus in eorum vitâ conficerent, placuit eodem jure, ut de iisdem post mortem disponere possent, potestatem testandi de omnibus rebus introducentes, ita ut illius origo de fructibus & venationibus jure naturali primævo introducta, ad cæteras postmodum extensa, de jure gentium generaliter apud omnes observaretur. Illudque quàm antiquissimum fuisse, testantur Sacræ Literæ, in quibus legitur primævos illos Patres testamentum condidisse: ut de Jacobo *Gen. cap. 49.* Et Jacobum patris sui Isaci benedictionem prudenter habuisse, ut hereditatem patris ejusque benedictionem Esau primogenito debitam consequeretur: *Genes. cap. 27.* Antiquos quoque Medos, Caldeos, Arabes, & Græcos testamenta condidisse, testantur Historiæ, legesque Solonis, Draconis, & Lycurgi. Successit deinceps post multa secula Urbs Roma: quæ regnantibus primùm Regibus, hâc generali potestate utebatur; & postea exactis Regibus, Lex 12. tabularum constituta; eademque potestas testandi antiqua edita, & cum suâ latissimâ potestate

testate recepta, & confirmata fuit per hæc verba: Hereditates testamento datæ, ratæ sint, uri quisque legasset rei suæ, ita jus esto: *l. 120. ff. de verb. sign.* Quia verò hæc testandi facultas non sufficeret, nisi forma & modus fuissent traditi. unde meritò ex usu & temporum varietate, varia testamentorum genera antiquis temporibus adinventa fuère, quæ post testamenti definitionem breviter expedire conabor.

Testamentum est voluntatis nostræ justa sententia de eo, quod quis nostrum post mortem suam fieri velit. *l. 1. ff. de testam.*

In hæc Testamenti definitione Tria sunt observanda: Primò hæc verba; **Voluntatis nostræ**, quæ propriè circumstantiam personarum activam respiciunt, hoc est, qui testamenta facere possunt. Illi enim debent liberum habere arbitrium propriæ voluntatis. Quò filiifamiliàs, impuberibus, furiosis, prodigis & reliquis similibus, ut infra patebit, non licet testamenta condere; quia dependent ex alieno consilio & potestate. Secundò, verba, **justa sententia**, quæ respiciunt circumstantiam personarum passivam, hoc est, qui heredes institui possunt in testamento. Omnes autem possunt institui, qui non à jure prohibentur. Unde hæretici, nati ex incoestu, deportati, damnati in merallum, baptismatis iteratores, apostati, & cæteri ejusmodi, de quibus infra, heredes institui non possunt; quippe cum vetentur à jure capere. Tertiò verba, **de eo**, scilicet de re seu hereditate nostrâ non alienâ institutio fieri debet.

Testamentum, rectè ex testatione & mente componitur, quodd reverà nihil aliud sit, quàm testatio mentis, *prin. Inst. de testam. ordinand.* id est, sententiæ & voluntatis. *l. 1. ff. eod.* Licet Gramma-

Grammaticis placeat Testamentum à testatione duntaxat dici, & ita esse nomen simplex: Gellius *lib. 6. cap. 12.* tamen, quia varix ac multiplices sunt testationes, quæ ex diversis oriuntur causis; adjectum est mentis, id est, ultimæ voluntatis, esse testationem. Idcirco hæc etymologia JCrus gratior est nec non verior, qui student nomina rebus facere congruentia. *S. penult. Inst. de donat.*

Jam Testamentorum Species vel Genera interpretanda veniunt: Sed antequàm ad ea quæ hodiè usurpantur, accessurus sum; priùs de ijs, quæ olim in usu erant, ac unà quemadmodum eadem paulatim temporis processu mutata sint, paucis dicam.

In primis quo Testamentorum Genera à Romanis constituta fuère: *S. 1. Inst. de testam. ord.* Unum erat quoddam pacificum, & Calatis Comitijis nuncupabatur, quod tempore pacis conficiebatur: Solebat enim populus Romanus quotannis bis testamenti faciendi gratiâ in campum Martium per præconem calari, id est, convocari. Cùmque eò venisset, quid de suis bonis post mortem statuere vellet, præscribebat: solebatque plebem ipsam rogare atque obtestari, ut suam voluntatem conservarent. Inde Calatis Comitijis dictum est: Nam Calare, est vocare; Comitia, Congregatio: quoniam igitur vocati congregabantur, appellatum est testamentum Calatis Comitijis. Alterum erat bellicum, & Procinctum dicebatur, quod in procinctu militiæ tantùm fiebat, cùm viri ad prælium faciendum in aciem vocabantur: Moris etenim erat Romanis, cùm jam militiam essent ingressuri, scutaq; sumpturi, & togam præcincturi, simulque testamenta in procinctu facere, & tribus aut quatuor exaudientibus heredem nuncupare. *Plutarchus in vita Coriolani.* Procincti enim dicuntur, qui præcincti togis, more veterum, atque expediti & jamjam parati ad confligendum cum hoste. Unde & Procinctum testamentum dictum; quod veteres Eudo, vel In Procinctu nominabant; *Cic. lib. 1. de natur. Deor. & 1. de Orat. Ulpian. Inst. cap. 20.* nunc verò Militare vocant.

TRACTATUS DE

Verùm cum hæc duo genera in usu essent, eveniebat, ut nonnulli subitaneo morbo correpti, intestati, contra publicam utilitatem, morerentur: neque enim Calatis Comitibus testabantur, quia nondum instaret tempus; neque in Prociñctu, quia bellum non esset: Insuper & illud mali omnis videbatur, sano quempiam & valente corpore, testamentum condere. Quocirca prædicta duo genera in defuetudinem abierunt: & introductum fuit Tertium testamentorum genus, quod per *Æs* & *Libram* nuncupabatur; *d. §. i. Inst. de test. ord.* quod per mancipationem, id est, imaginariam quandam venditionem sive alienationem agebatur. Mancipare enim aliquid solenni modo civili vendere & alienare significat. Proinde reverà non venditio erat, sed liberalis omnium bonorum translatio. Nam volens testari, vendebat totam familiam, id est, omnia sua bona, seu hereditatem, vel patrimonium, familiæ emptori, (is qui personam emptoris sustinebat, ad quem tanquam heredem ea bona per mancipationem transferebantur, heres non erat, sed alius ab herede) quinque testibus, qui populum universum representabant, & libripende, id est, bonorum ponderatore, Civibus Romanis puberibus presentibus: & emptor hereditatis coram libripende habente stateram in manibus, ac ponderante aliquas res dicebat; hanc familiam jure Quiritum meam esse ajo, ipsaque mihi empta sit, hoc ære æneâque librâ, & cum illo ære tabulam percutiebat: testator postea in tabulis scribebat, quid post mortem suam fieri vellet, disponendo particulariter de bonis; instituendo heredes unum vel plures emptores, exheredando, legata dando, & tutelas conficiendo: quibus peractis, tabulas testamenti testator tenens ita dicebat; hæc ut in his tabulis ceterisve scripta sunt, ita do, ita lego, ita testor: itaque vos Quirites testimonium præbete. Verùm cum in hæc testandi formâ tantum res mancipi, non ite nec mancipi, alienatæ sint: unde de his aliquid dicendum est. Pro quarum tamé intelligentiâ præsciendum est, quod cum Civitas Romana esset in Latio condita; eò jure Communi Latinorum utebatur: verùm in quibusdam jus sibi proprium adscripsit, & quodammodo jus Municipale ac jus Quiritum dicebatur, cum Romani Quirites vocarentur; per quod jus proprium Romanorum seu Quiritum, introducã

Introduc̄ta fuit differentia quædam rerum, ut essent res mancipi & non mancipi. Res mancipi dicebantur omnia prædia Italica; sive rustica ut fundus, sive urbana ut domus: jura prædiorum rusticorum; ut via, iter, actus, & aquæductus: Servitutes: & quadrupes, quæ dorso collève ducuntur; veluti boves, muli, equi, & cætera similia.

Res non mancipi nominabantur, ut elephantes & camelli, quæ quamvis dorso collève domentur, nec mancipi dicebantur, sicut & cæteræ feræ bestiæ, & omnes res extra Italiam sitæ.

Res mancipi alienari non poterant, nisi per unam formam alienandi, quæ mancipatio appellabatur, & fiebat coram quinque testibus Civibus Romanis, libripende & emptore hereditatis &c. uti antea dictum est. Hæcque ad unguem solennitate servatâ, dominium de jure Quiritum apud ipsos Romanos acquirebatur, etiam non secutâ traditione. Et id prætereundum non est, cum filij Romanorum & servi dicerentur res mancipi, si olim iidem parentes filios volebant liberare à patriâ potestate, cum istâ formâ mancipationis, id est, solennis venditionis, l. 3. *¶ ult. C. de emancipat. liber.* transferebant dominium in amicum, qui postea manu eum dimittebat, & iterum pater vendebat, & ille iterum manumittebat, & factâ trinâ mancipatione, & trinâ manumissione, filius dicebatur emancipatus.

Si autem Res non mancipi essent, tunc non erat necessaria dicta forma: Sed per conventionem secundum limites juris gentium fiebat venditio, secutâ traditione, & non antea transferebatur dominium. *S. 42. Inst. de rer. divis.* Cùm prædicta testamentorum condendorum forma multum esset probabilis, & conveniens observationibus Romanorum, longissimo tempore servata fuit, ultra spatium mille annorum, etiam post mortem Ulpiani. Veruntamen, quia per talem formam, non poterat disponi, nisi de rebus mancipi, de alijs verò rebus non valebat, & per consequens de rebus extra Italiam; & posthumi non poterant heredes institui; ac insuper erat necessarium, quòd esset alius homo vivus, qui emeret illam hereditatem; & alia quoque essent incommoda.

Eapropter Prætores qui eo tempore magistratum exercebant
 introduxerunt per Edicta sua Quartum genus testamentorum : d. §. 1.
Inst. de test. ord. sub eâ formâ, ut testator manu propriâ in tabulis ce-
 ratis, quæ tunc observabantur, scriberet totam intentionem suam,
 disponendo de bonis suis, instituendo, legando, & alia mandando
 cum septem testibus Civibus Romanis, eos rogando ut sigillarent &
 subscriberent, firmum efficiebatur testamentum, absque eo quod in-
 terveniret illa alienatio per mancipationem familiz, & in hoc solum
 addiderunt insuper duos testes, & subscriptionem & sigillationem
 eorum. Idque testamentum valde utile erat: tum, quia de om-
 nibus bonis testator disponere poterat: tum, quia etiam poterat
 instituire posthumos nedum proprios sed etiam alienos, & si nasce-
 bantur filij, non rubebant testamentum sed eis scriptis heredib. dabatur
 honor. possessio. §. 1. *Inst. de bon. poss.* Ex quo longo tempore servatum fuit.
 Sed cum hæc duo testamētō genera valde inter se differerēt, & propter
 differentias juris Civilis & Prætoris, evenisset, quod tempore Adriani
 Imperatoris Edictum perpetuum fuisset constitutum. Ob hoc,
 jus Prætorium haberet quasi eandem potestatem cum Civili: latæq;
 fuere Constitutiones Principum, quæ voluerunt, quod consonantia
 plena induceretur inter jus Civile & Prætorium. Unde postea
 testamenta triplici jure; Prætorio, Civili & Constitutionum, sunt
 constituta. §. 2. *Inst. de test. ord. Theoph. hic.* quæ etiam nunc in usu
 sunt.

Testamentum hodierno die dupliciter ordinatur: aut publi-
 câ fide, aut privatâ. Publicâ fide duobus modis fit: vel per pre-
 ces Principi oblatas, vel apud acta cujusvis judicis. l. 19. C. de testa.
 Prius testamenti Genus, Per preces Principi oblatas, sic peragitur;
 Si quis voluntatem suam supremam comprehendat libello supplici,
 quem postea offerat Principi, petens, ut libellum & supremam hanc
 voluntatem suam in scrinia sua recipiat: quo recepto & peracto,
 (moris enim fuit apud Romanos, ut Principes reciperent libellos
 oblatos; qui deinde in Consistorio Principis legebantur, omnibus
 Proceribus & ijs, qui in Consistorio erant, audientibus) tradebatur
 Magistris libellorum; per quos dictus libellus referebatur in scrinia
 Principis,

Principis, (in his erant epistolæ, rescripta, & decreta Principum) ibique asservabatur. Posterius Genus, Apud acta cujusvis Judicis, perficitur hoc modo; Cùm quis, judice aut Municipibus jus dicentibus, ingreditur in eum locum, ubi juris dicendi causa consistitur, & ibi apud acta, id est, quo loco acta de rebus ibi gestis conficiuntur, vel: palàm coram judice aut Municipibus declarat voluntatem suam supremam; petens, ut auctoribus his in acta referatur, vel: voluntate suâ priùs scripto comprehensâ, quam suam supremam esse testetur, scriptũ ipsum etiam involutũ offert judici aut Municipibus, petitq; scripturam in acta referri; quam etiam judex aut Municipes ex officio in acta referri jubent. In his duobus generibus non requiruntur testes, cùm Principis vel judicis præsentia sufficiat & suppleat omnem solennitatem. *d. l. 19. C. eod. & l. 31. C. de donat.*

Privatã autem fide Testamentum fit, adhibitis privatis testibus. *d. l. 19. C. eod.* Hoc bifariam dividitur: in Testamentum Solenne, quod formam civilem perfectamque habet; & Minus Solenne, cui ea forma deest, de quo postea, nunc de priori agam. Solenni testamenti duæ sunt species: aut enim Testamentum in literas mittitur, & Scriptum vocatur; aut citra scripturam vivã voce testatoris profertur, & Nuncupativum dicitur. *l. 21. in princ. & §. 2. C. de testam. §. ult. Inst. eod. l. 21. ff. qui testam. fac. poss.*


Scriptum Testamentum est, quod fit in scriptis coram septem testibus privatis, omni exceptione majoribus. *d. l. 21. C. eod. l. 2. ff. de testib. Novell. 90. c. 1. c. Placuit. extr. de testib. & attestationib.*

Quod ad Scripturam attinet, nihil interest, quã materiã hoc testamentum scribatur, utrũ in tabulis, an in chartis, an in membranis, aut aliã quãvis materiã, dum scriptum legi possit: *§. 13. Inst. de testam. ord. l. 1. in pr. ff. de bonor. poss. sec. tab. l. 15. in fin. C. de testam.*

Neque quando scriptum, utrũ tunc, cùm quis testatur coram testibus, an multò antè: *d. l. 21. vers. In omnibus. C. de testam.* Neque à quo scriptum sit, utrũ à testatore, an ab alio quovis, dicente testatore; *d. l. 21. in pr. C. eod.* usque adeò, ut placeat etiam servum licet alienum, jussu testatoris testamentum scribere non prohiberi. *l. 28. ff. qui test. fac. poss.* Quamvis hoc jus Imperator Justinianus

manus mutaverit, jubendo ut nomen heredis, aut testator suâ manu scriberet, aut palàm coram testibus nuncuparet, qui deinceps & hoc in suis subscriptionibus exprimeret: *l. 29. C. de testam. §. 5. Inst. eod.* tamen hoc postea Novellâ Constitutione sustulit, cavens ad vim testamenti nihil referre, utrum testator per se, an per alium scribat nomen heredis. *Auib. Et non observato, C. de testa.* hâc Constitutione ad jus illud antiquum superius rediit, quod etiam hodiè in usu est.

In hoc autem Testamento hæc quinque, quæ alioqui in omnibus testamentis, jure Communi ad testamenti vim, & rectam hereditatis delationem spectantur: Primò, Persona testantis; Secundò, Adhibitio testium; Tertio, Res quæ testamento continentur de voluntate testatoris coram testibus declarantis; Quarto, Testatoris & testium contestatio; Quintò, Infirmatio testamenti. De his quinque requisitis ordinè dicam.



P R I M U M :
DE PERSONA TESTANTIS
seu instituentis.

NOtandum est in primis & pro regulâ ponendum. Omnibus permissam esse testamenti faciendi facultatem, nisi id quibusdam interdictum specialitèr reperitur. Quanquam autem Lex duodecim tabularum generalitèr permisit omnibus Civibus Romanis testamētum condere; quippè, uti quisq; legassit suæ rei, ita jus esto; quòd & humanissimè fieri videtur, ut quisq; ultimam suam voluntatem de rebus suis ad posteros transmittat: tamen certis ex causis plerique id facere, à legibus prohibentur. Hæ cause sunt diligenter observandæ: quoniam ubi nihil tale prohibitum esse reperitur, semper dicendum est, permissam esse testamenti factionem. Alii igitur prohibentur propter inopiam judicij & consilij, cujusmodi sunt impuberes; §. 2 *Inst. quib. non est permis. fac. test. l. 4. C. qui test. fac. poss.* Et dicuntur Impuberes

puberes Mares, qui non compleverunt quatuordecim annos; Fœminæ, quæ non compleverunt duodecim annos; Furiosi vel mente capti; *d. s. 2. Inst. eod. l. 2. ff. de inoffic. test. l. 17. ff. qui test. fac. poss. l. 9. C. eod.* Si tamen intervalla dilucida habuerint, interim licet eis testari; ut tamen compleatur testamentum antequam superveniat furor; *d. s. 2. Inst. eod. d. l. 2. ff. eod. d. l. 9. C. eod. Prodig: §. 3. Inst. quib. non est permiff.* Alii prohibentur, quod sui juris non sint, sed alteræ potestati addicti, cujusmodi sunt filii familiars; *s. 1. Inst. quib. non est permiff. l. 6. & 16. ff. qui test. fac. poss. l. 11. C. eod.* Atque id quidem obtinet, etiam si pater eis concedat testari; *d. s. 1. Inst. eod. d. l. 6. ff. eod. & d. l. 11. C. eod.* Est enim testamenti factio publici, non privati juris; *l. 3. ff. qui test. fac. Servi; d. s. 1. Inst. eod. d. l. 16. ff. qui test. fac.* Capti ab hostibus; *s. ult. Inst. quib. non est permiff. l. 8. ff. qui test. fac.* Attendendum tamen est, si ii qui capti sunt ab hostibus testamentum fecerint ante captivitatem, & ab eis redierint, id confirmatur jure postliminii; *s. ult. Inst. quib. non est. l. 5. §. 1. & l. 16. ff. de capt. & postlimin. redempt.* Si verò apud hostes decesserint, confirmari lege Corneliâ; *d. s. ult. Inst. eod. l. 12. ff. qui test. fac. poss.* Obsides; dicitur Geisel / *d. s. ult. Inst. eod. l. 11. ff. qui test. fac. l. 31. ff. de jure fisci.* Qui hæc scilicet conditione alicui hosti captivorum loco traduntur, ut si dans obsides à fide datâ recedat, accipiens vitæ necisque in eos potestatem habeat; attamen, si eis à Principe permittatur, testari possunt; *d. l. 11. ff. qui test. fac.* Dubitantes vel errantes de suo statu, id est, qui nesciunt, utrum emancipati sint vel sub potestate patris? an manumissi vel sub dominio sint? *l. 14. & l. 15. ff. qui test. fac.* Monachi: *Auth. ingress. & Auth. si qua mulier. C. de Sacrosanct. Eccl. s.* Alii prohibentur, quod sensu aliquo corporis destituti sint, cujusmodi sunt surdi & muti naturâ; *s. 4. Inst. quib. non est. l. 6. §. 1. ff. qui test. fac. l. 10. C. eod.* Sed si muti & surdi essent ex accidenti, veluti ponamus eos scientes literas, poterint testari & Codicillos facere, si modò manu suâ Testamentum vel Codicillos scribant; *d. s. 4. Inst. eod. d. l. 10. C. qui testa.* Sin verò per alios scribant, non poterint, nisi id à Principe impetraverint; *l. 7. ff. qui testa. fac.* Cæci; *s. 5. Inst. quib. non est.* nisi septem testes & tabellarium, cujusve in locum ceterorum

vum testem adhibuerint: *l. 8. C. qui testa. fac.* Alii prohibentur, quia in mortem naturalem aut civilem propter flagitia condemnati sunt, cujusmodi sunt Majestatis rei; *l. 20. ff. de accusat. & inscript.* Conscientes sibi mortem sceleris conscientia & metu supplicii; *l. 6. §. 7. ff. de injusto rupto & ir. fac. test. l. ult. ff. de bon. eor. qui ante sentent.* Illi, quibus aqua & igni interdictum est, deportati in Insulam, damnati ad ferrum aut ad bestias, damnati in metallum vel opus metalli; *l. 8. §. 1. 2. & 4. ff. qui test. fac.* Si tamen provocaverint, interim testari possunt; *l. 13. §. ultim. ff. eod.* Hæretici, ut Manichæi, Donatistæ, Ariani, Macedoniani, Tascodrogitæ, Borboritæ, Ophitæ, &c. *l. 5. & Auth. Gazaros. C. de Hæreticis & Mani. c. Cum secundum ext. de hæreticis in 6. c. Excommunicamus. §. damnati. ext. de hæreticis. Credentes, receptatores, defensores & fautores hæreticorum; Auth. Credentes. C. de hæretic. d. c. Excommunicamus. §. credentes. extr. eod. Apostatæ; l. 1. 2. 3. 4. & l. ult. C. de Aposta.* Hi, si rem penitius inspectiamus, deteriores sunt hæreticis: turpius etenim & sceleratius est veritatem semel agnitam abijcere, quam nunquam cognovisse; *2. Petr. 2. v. 20. & 21. Luc. cap. 12. v. 47. Hebr. cap. 3. v. 12. cap. 6. v. 67. & cap. 9. v. 6.* Prophanantes sanctum Baptisma: *l. 3. C. de Apost.* Alii denique prohibentur, quod aliqua infamia sint notati, cujusmodi sunt contrahentes incestas nuptias; *l. 6. junctâ Auth. Incestas. C. de incest. nupi.* Damnati ob crimen famosum; *l. 18. §. 1. & l. 26. ff. qui testa. fac.* Adhibiti ad testamentum, signa sua recognoscere nolentes; *Theophil. in §. testes. instit. de test. ord.* Usurarii manifesti; *c. Quamquam. ext. de usuris.* Nisi de usuris satisfecerint, vel de satisfaciendo pro suarum viribus facultatum idoneam cautionem præstiterint, *d. c. Quamquam. extr. eod.* Hi omnes enumerati, si fecerint testamenta, sunt ipso jure nulla: Reliqui verò extra hos testamenti factionem habent; Contrariorum enim eadem est disciplina. *l. 1. ff. de his qui sui vel alie.* Verùm, licet Canonica & Civilia jura his personis facultatem testandi negent: tamen ea jura moribus & statutis singulorum populorum relaxari possunt; non autem quibus naturalia jura eam facultatem negant.

SECUNDUM:
DE ADHIBITIONE
Testium.

IN testibus colligendis prima testatoris cura esse debet, ut testes necessarii rectè adhibeantur. Hæc adhibitio jure tria desiderat: Idoneam testium conditionem; justum numerum; & testium rogationem.

Primo, Conditione oportet testes esse idoneos. Idonei sunt, qui testes esse non prohibentur. *l. 1. §. 1. ff. de testib.* Videamus qui vetantur à jure, & sic per consequentiã sciemus qui testes in testamentis adhiberi possunt. Quidam igitur vetantur ob infirmitatem mentis & consilii, ut Impubes, furiosus, is, cui bonis Interdictum est, id est, prodigus, mulier; *§. 7. Inst. de testam. ord. l. 18. 20. & 26. ff. qui test. fac. poss.* Mulier vetatur nimirum nè quid falsi in testamentis admittatur pro inexperientiã sexus, non satis intelligens eas fraudes, quæ in testamentis subornandis à peritis architectis earum rerum strui solent; alioqui in aliis negotiis testis est idonea: *d. l. 20. §. 6. ff. qui test. fac.* Quidam vetantur, quia sensu aliquo corporeo diminuti sunt, ut mutus, surdus, cæcus; *d. §. 7. Inst. de testam. ord.* Licet in hoc *d. §. 7.* cæcus sit omisus: tamen ex eo satis intelligitur eum à testimonio dicendo removeri, quòd neque subscribere potest; neque percipere, quis sit testator, qui testes; neque num ex fide ab illis omnia gerantur, an verò quid fraudis ab iisdem admittatur; ad quod tamen periculum amovendum præcipuè adhibentur testes: Quidam statu personæ prohibentur, qui Cives Romani non sunt, ut servi; *d. §. 7. Inst. eod. d. l. 20. §. 7. ff. qui testam. fac. l. 21. C. de testam. deportati; et si in d. §. 7. Inst. eod. & seq. ll.* nec alibi nusquam nominatim in hæc causã excepti leguntur: hoc tamen ipso satis excipiuntur, quòd hinc postulantur


stulantur testes Cives Romani; *d. l. 21. in pr. C. de testam. de porta*
 ti enim Cives esse desierunt: *S. 2. Inst. quib. mod. jus pat. pot. sol.*
 Quidam vetantur ob damnationem, ut damnatus repetundarum;
l. 15. ff. de testib. l. 6. §. 1. ff. de lege jul. rep. damnatus adulterii; l. 14.
ff. de testib. damnatus ob carmen famosum; d. §. 7. Inst. de test.
ord. d. l. 18 §. 1. & l. 26. ff. qui test. fac. poss. Item is, qui vocatus in
 testem, & in testem sese præbuit, hoc est, testamento subscripsit &
 signavit; mortuo testatore, noluit adesse, aut loco testimonii sub-
 scriptionem suam, signumque agnoscere: *Theophil. in §. testes. Inst.*
de testam. ord. Quidam vetantur ob potestatem inter testatorem &
 testem constitutam, ut nec pater filio, nec filius patri, nec frater fra-
 tri testis esse potest: *S. 10. Inst. de test. ord. l. 9. ff. de testib. Theophil.*
in §. pater Inst. de test. ord. Quidam vetantur, quia ipsorum res agi
 dicitur, ut heres scriptus, ejus filius, pater, & fratres. *S. 11. Inst. de*
test. ord. Theoph. in §. Sed neq. Inst. eod.

Id hæc diligenter notandum est: Si fortè testes variâ Condi-
 tione usi sint; & quo tempore testamentum sit, & quo testator
 moritur, vel intermediis temporibus: Conditionem eorum inspi-
 cere debemus, cum signarent, non mortis tempore. Si igitur tunc
 tales fuerint, ut adhiberi possent; nihil noceat testamento, si quid
 postea eis contigerit. *l. 22. §. 1. ff. qui test. fac. poss.*

Secundò, Numero in testamento septem testes esse oportet.
S. ult. Inst. de testam. ord. d. l. 21. in pr. & §. 2. C. eod. Hic testium nu-
 merus in utraq; hæc testamètorum specie ita strictè jure Civili ob-
 servatus, ut à quo, non nisi duobus in casibus jure singulari rece-
 dere permisum sit: Cum nimirum testamentum à parentibus con-
 datur inter solos liberos utriusque sexus, valet, etiamsi communis
 & solennis observatio sit omiſsa; *l. 21. §. 1. C. de testam.* Et cum à
 Rusticis conficiatur in eo loco, ubi non inveniuntur septem idonei
 testes, sufficit quinque non pauciores esse adhibitos. *l. ult. C. de te-*
stam. Verùm de jure Canonico testamentum ad pias causas va-
 let, tribus aut duobus legitimis testibus requisitis: *c. Relatum. 1.*
extr. de testam. Pias causæ sunt, si quid Ecclesiæ, si pauperibus, si in
 redemptionem captivorum relinquatur. Imò Canonicis Sanctio-
 nibus

nibus quodlibet testamentum à Parochianis, in præsentia Presbyteri Parochialis & trium aut duorum testium factum, valet. *c. Cum esses. extr. eod.* His Sacræ Literæ adstipulantur. *Deut. 19. Matth. 18.* Sed hoc potest procedere in terris Ecclesiæ, secus autem in terris Imperii, quia ibi jus Civile cum septem testibus servatur. *arg. c. Si duobus. extr. de appellat.* Postremò hic numerus testium ab Imperatore aut Rege beneficii loco remitti potest, (quemadmodum militibus remissus est) vel jure Municipali, aut consuetudine cujusque Provinciæ diminiui. *l. 9. C. de testam.*

Tertiò, Rogati etiam testes esse debent. Ut valeat testamentum, non sufficit septem testes interfuisse; sed oportet eos esse rogatos & admonitos, ut interfint testamenti factioni. *l. 21. §. 2. ff. qui testam. fac. l. 21. C. de testam. Novell. 90. c. 3.* In aliis autem causis, non est necesse testes rogatos esse. *l. 11. ff. de testib.* Sed in testamentis constitutum est rogatos esse debere testes, ut intelligant quid geratur, testimoniis postea perhibendi causâ. *Deßhalben sollen die Zeugen / vnd auch der Notarius, sonderlich darauff acht geben / wann sie zu einem solchen Kranken / der so viel als auff seinem Todtbett ligt / der Testirung halben erfordert werden / daß sie auff seine gelegenheit / wie die mit ihme geschaffen / Ob er noch bey gutem Verstande / Ob sein will vnd meinung sey ein Testament zu machen / vnd sich dessen also erkläre / Ob er auch solchen seinen Willen außdrücklich vnd verstendlich reden möge / Auch / Ob kein böser argwohn darbey seye / Daß er nicht freywilliglich / sonder mehr dem senigen / so vmb inen seynt vnd vielleicht mit harten Worten / vnd vngestümmen anhalten / zu solchem Testiren gerieben haben / zu gefallen solches also handele.* *pari. 4. tit. 2. §. ult. de testam. ord. in Statutis Francosurdens.* Nam imprimis in testatore requiritur, ne quid in testamento faciat alio cogente, cum libera testatoris voluntas esse debeat. *l. 1. C. de sacrosanct. Eccles.* Etenim, ut ea voluntas cuique maneat integra, leges etiam in parta improbant, quibus libertas testandi auferatur. *l. 38. ff. de Verbo. Oblig.*



TERTIUM:

DE REBUS, QUÆ IN TESTA-
mento continentur de voluntate testatoris
coram testibus declarantis.

RES, quæ in testamento ipso inseri solent, sunt Institutiones heredum, Substitutiones, Legata, Fideicommissa, Tutelæ dationes, & Manumissiones: ex quibus nonnullæ ad necessitatem rectæ restitutionis, nonnullæ autem ad liberam testatoris voluntatem pertinent. De singulis ordinè dicam.

DE INSTITUTIONIBUS.

Institutio heredis, est præcipua testamenti pars, sine quâ testamentum non valet. *l. 3. ff. de his quæ in testam. delent.* Unde testamenta ex heredis institutione dicuntur vim accipere: & ob id veluti caput atque fundamentum totius testamenti heredis institutio intelligitur. *§. 55. Inst. de legat.* Instituire heredem, est heredem scribere, vel nuncupare in testamento eum, quem quis successorem sibi esse, & personam suam representare vult. Estque inde dictum quasi intus, id est, in loco suo quæ statuere. Hoc etenim agit, qui instituit, ut institutus loco suo post mortem suam sit dominus bonorum suorum. Et verè institutus dicitur, non solum is qui scribitur, sed etiam is qui nuncupatur. *l. 2. §. 1. ff. de hered. instit.* Institutio igitur nihil aliud est, quàm heredis futuri in testamento facta nominatio. Institutio hodiè quibuscunq; verbis fieri potest: *l. 15. C. de testam.* Vel directis, ut Lucius Titius mihi heres esto; *l. 1. §. 3. C. de hered. instit.* Vel inflexis, ut Sejum heredem facio, si-
ve in

ve instituo, sive volo, sive mando, sive cupio; *l. 1. §. 1. C. de testam.*
 Vel purè, ut Titius heres meus esto; Vel sub conditione, ut si Seja
 vidua manserit, heres meus esto; Vel in diem incertum, ut Titius
 eùm capere poterit, heres meus esto. *l. 62. ff. de hered. instit.* He-
 res est, qui suo nomine, sive per se sive per alium hereditatem est
 adeptus. *l. 2. §. 3. ff. de hered. pet. l. fin. C. de hered. instit.* Dicitur ab
 Hero, quasi dominus seu domini successor. *§. ult. Inst. de hered. qual.*
 Nam una & eadem persona videtur esse heredis & defuncti. *l. fin.*
C. de impub. & aliis subst. Novell. 48. Unde rectius heres cum e sim-
 plici, quàm hæres diphthongo scribitur. Heres nomen gene-
 rale, in tres species dividitur: Alii enim heredum Necessarii
 dicuntur, ut testatoris servi heredes institui; *§. 2. Inst. de hered. qual.*
§. diff. Alii Sui & Necessarii, ut filius, filia, nepos neptisve ex fi-
 lio, & cæteri liberi, qui modò in potestate morientis fuerint; *§. 3.*
Inst. eod. Alii Extranei, uti liberi emancipati & reliqui omnes, qui
 testatoris juri subiecti non sunt. *§. 4. Inst. eod.* Hereditas est suc-
 cessio in univèrsum jus, quod defunctus habuit tempore mortis. *l.*
24. ff. de verb. sign. l. 62. ff. de Reg. jur.

Verùm enim verò testantibus aliis necessitatem imponit jus
 distribuere quandam partem personis quibusdam, tanquam hoc se-
 cundum ipsam naturam eis debeatur: aliis autem nulla consistit ne-
 cessitas partem dare quamlibet propriæ substantiæ; sed suæ pote-
 statis est eis largitio, ad quoscunq; testator voluerit, proferenda.
 Unde, duæ institutionis Species ortæ sunt: Necessaria & Volun-
 taria.

In Necessariâ heredum institutione est officium, quod à testa-
 toribus in hereditate deferendâ, aut denegandâ erga certas alias
 personas exigitur; scilicet ut vel his relinquunt aliquid, vel ut eas
 verbis à successione suâ removeant. Hoc officii genus, tribus te-
 statorum generibus injungitur: parentibus erga liberos: liberis
 erga parentes; fratribus erga fratres.

Parentum officium erga liberos est, ut eos parentes heredes
 instituant, aut justè exheredent. *§. 6. Inst. de exhered. lib. l. 30. ff. de*
liber. & post hered. inst. l. 4. C. de liber. præt. vel exher. Omnes nimi-

rum liberi, quos moriente testatore nemo gradu præcedit, à parentibus instituendi heredes, aut exheredandi sunt: sive filii, sive filiarum, sive sui, sive emancipati, sive nepotes, vel neptes, sive pronepotes, vel proneptes, sive ii, qui in potestate nunquam fuerint aut esse possint, sive postumi filii, sive postumi nepotes, sive ii, qui postumorum loco habentur: §. 2. 3. & 6. *Inst. de exhered. lib. d. l. 4. C. de liber. prætert. Novell. 115. c. 3. in princ.* Hoc notandum est: Quod si testatori diversorum graduum liberi erunt; sufficit prioris gradus liberos heredes instituere aut exheredare: posterioris non est necesse. *l. 6. in princ. ff. de injust. rupt. & irri. l. 9. §. 2. ff. de lib. & postum. hered.* Sed utrum parens instituat, an exheredet, utrumque; certo modo, & certâ ratione illi injungitur.

Si testator liberos suos exheredes esse non vult, tria hæc præstare debet. Primò, necessum est liberis hunc honorem habere, ut parens eos heredes instituat. Non enim sufficit quovis relictæ genere, eos honorare, puta donationis, aut legati, aut fideicommissi, aut alio quovis. *Novell. 115. c. 3. in pr.* Hunc honorem à parentibus liberis haberi leges voluerunt, ne his tanquam extraneis relinquere, quod statuerent parentum hereditatem & naturæ tacitâ quâdam lege & communi parentum voto deberi. *l. 7. §. ult. ff. Si tabul. test. nul. extr. l. 7. in pr. ff. de bonis damnat.* Secundò, Parens liberos suos certo modo instituere tenetur. Filii enim qui sunt in patris potestate, qui iidem dicuntur sui heredes, aut purè institui debent, aut sub eâ conditione, quæ est in ejus potestate. *l. 4. in pr. ff. de hered. inst. l. 4. C. de instit. & subst.* Si verò sub eâ conditione instituuntur, quæ in potestate ejus non fuit, quasi non institutis eis, testamentum inutile est. *l. fin. in pr. ff. de cond. insti.* & cum alioqui impossibiles conditiones in institutionibus, & legatis, nec non fideicommissis & libertatibus pro non scriptis habeantur. *§. 11. Inst. de hered. insti.* Præterea & filiarum quamvis suæ heredes, sub quavis conditione institui possunt: *l. 7. C. de insti. & subst.* & filii emancipati eodem modo; *d. l. 4. C. eod.* & nepotes ac pronepotes, etiam qui sint in potestate. *l. 6. §. 1. ff. de hered. insti.* Sic autem dicimus jure veteri, & filium suum heredem sub conditione, quæ
in po.

in potestate ejus sit, institui posse; & nepotes suos heredes; itemq; filios emancipatos posse sub omni conditione: ut intelligatur hoc jure non solum consti- tutionem, sed & conditionem hinc fuisse expectandam; non ut aliàs solet in impossibilibus, conditionem detractam, ut eâ detractâ haberetur institutio pro purâ. Tertio, Testator liberos suos instituere tenetur ad eam quantitatem, ut ne minus habeant, quàm legitimam portionem. *Novell. 18. cap. 1.* Quamvis enim parentes hereditatem pro libitu inter liberos suos dividere possint: tamen si noluerint, jure ipsis portionem legitimam relinquere coguntur. Hæc olim erat Quadrans, id est, quarta hereditatis pars. *l. 8. §. 6. ff. de inoff. testam. l. 8. C. eod.* Hodie ex Justiniani Constitutione Legitima portio est Triens, id est, tertia propriæ substantiæ pars; si videlicet parentes unum, vel duos, vel tres, vel quatuor filios habeant: Semis verò, id est, medietas substantiæ pars, si nimirum quinque, vel sex, vel septem filios, vel ultra habeant. *Auth. Novissima. C. de inoff. testam. d. Novell. 18. c. 1.*

Si parens liberos suos à successione suâ remotos velit, licet eos non instituere, atque adeò nihil iis relinquere testamento: Sed hæc conditione, dum testamento ipso exheredet. Alterutrum enim ab eo exigitur. *d. l. 30. ff. de lib. & post. d. l. 4. C. de lib. prat.* Cum exheredationem lex exigat, hoc exigit, ut hanc testator testamento verbis complectatur, id est, ut jubeat filios esse exheredes. Quod tamen utrum his verbis faciat; ille exheres esto, an verò aliis idem significantibus, nihil refert. *l. 3. C. de lib. prat.* Est igitur exhereditatio liberorum, à successione exclusio. Verùm ut non omnis institutio rata est, ita nec omnis exhereditatio. Rectæ exheredationis leges hæc duæ sunt: ut liberi ritè exheredentur: tum ut justis & meritis de causis.

Ut liberi ritè exheredentur, in eo hæc quatuor conditiones sunt attendendæ. Prima, ut exheredentur nominatim, non inter cæteros; ut Titius filius meus exheres esto. *§. 1. Inst. de exhered. lib. l. 4. C. de lib. prat.* Secunda, ut exheredentur purè non sub conditione. *l. 3. §. 1. ff. de lib. & postum.* Certo enim judicio liberi à successione parentum removendi sunt. *l. 18. ff. de bus. poss. cont. tabul.*

Tertia,

Tertia, ut simpliciter exheredentur, aut si quid adijcitur, ex hereditate ipsâ non ex re certâ, veluti ex fundo, exheredentur. *l. 19. ff. de lib. & postum.* *Quarta*, ut si in testamento parentis sint plures heredum gradus, institutorum & substitutorum, liberi exheredentur ab omnibus gradibus; *l. 3. §. 2. 3. cum seqq. ff. de lib. & postum.* id est, sicut à totâ hereditate, sic ab omnibus heredibus. *Iustæ* autem & meritæ causæ, propter quas liberi à parentibus exheredari possunt, sunt hæc quatuordecim.

Prima, Si quis parentibus suis manus intulerit. *Secunda*, Si gravem & inhoneſtam injuriam eis ingesserit. *Tertia*, Si eos in criminalibus causis accusaverit, quæ non sunt adversus Principem sive Republicam. *Quarta*, si cum maleficis hominibus ut maleficus versatur. *Quinta*, si vitæ parentum suorum per venenum, aut alio modo insidari tentaverit. *Sexta*, Si Novercæ suæ, aut concubinæ patris, filius sese immiscuerit. *Septima*, Si delator contra parentes filius extiterit, & per suam delationem gravia eos dispendia fecerit sustinere. *Octava*, Si parens conjectus fuerit in vincula, & filius nolit pro eo fidejubere. *Nona*, si quis liberorum prohibuerit parentes suos condere testamentum. *Decima*, Si præter voluntatem parentum inter arenarios vel mimos sese filius sociaverit, & in hac professione permanserit: nisi forsitan etiam parentes ejusdem professionis fuerint. *Undecima*, si alicui ex parentibus volenti suæ filiæ vigesimum quintum ætatis annum non excedenti, vel nepti maritum dare, & dotem secundum vires substantiæ suæ pro eâ præstare, illa non consenserit, sed luxuriosam dedere vitam elegerit. *Duodecima*, Si quis de parentibus furiosus fuerit, & ejus liberi, vel quidam ex his, aut liberis ei non existentibus alli ejus cognati, qui ab intestato ad ejus hereditatem vocantur, obsequium ei & curam competentem non præbuerint. *Decima tertia*, Si unum de parentibus in captivitate detineri contigerit, & ejus liberi, sive omnes sive unus non festinaverint eum precio vel precibus redimere. *Decima quarta*, si aliquis liberorum fuerit hæreticus. Verùm hîc sciendum est, sive unam ex his, sive ærtas quasdam, sive omnes, memoratas ingratiitudinis causas parentes

rentes in testamento suo inseruerint, & scripti heredes nominatim vel nominatas causas, vel unam ex his veram esse monstraverint: testamentum suam habere firmitatem. *Novell. 115. cap. 3.*

Jure verò nostro Municipali, (jus enim Sueonicum duplex est: Commune & Municipale; illud in Provinciis, hoc in Civitatibus usurpatur) Una hæc exheredationis causa est: Si filia contra parentum voluntatem viro nupserit, siue cum ipso impudicè vixerit. *cap. 3. in pr. tit. de Nupijs.*

Quod officium à parentibus erga liberos ad testamenti vim exigitur; hoc idem à liberis, quibus alii liberi non sunt, erga parentes exigitur, nimirum ut eos liberi heredes instituant, aut justè exheredent. Id hæc observandum est: Quando parentes institui aut exheredari jubentur: non utique simul omnes, si quis plures habeat diversis gradibus; sed ut quisque gradu proximus est defuncto.

Si itaque liberi parentes instituant, item hæc tria uti in liberorum institutione, spectanda sunt. Primò, Institutio parentum, ut & liberorum necessariò exigitur. *Novell. 115. c. 5.* Etsi parentibus filiorum hereditas non debetur propter votum parentum & naturalem erga filios caritatem: tamen, si eveniet, ut turbetur ordo mortalitatis, ut priùs liberi evocentur ex hæc vitâ; facit ratio miserationis & pietas parentibus debita, ut non minùs his, quàm liberis, relinqui debeat. *l. 15. ff. de inoffic. testam. l. 7. §. uli. ff. si tabul. testam. null. extra.* Secundo, Modus institutionis exigitur, qui propè idem est. Si enim liberi parentes purè instituant, bene est: Si sub conditione, non minùs institutio valet, & simul testamentum; sed conditio usque ad legitimam portionem subducitur; quod ultra est, ad eam quantitatem conditio expectatur. Tertiò, Quantitas institutionis requiritur. In quantitate institutionis idem planè hæc jus, quòd in liberis. Nam & parentibus eadem legitima portio ut minimùm relinqui debet: id est, non Quadrans, ut olim; sed Triens. Portio quippe generaliter constituta omnibus, quibus olim Quarta legibus decreta erat. *d. Novell. 18. c. 1.*

Si verò liberi parentes exheredent. Spectanda itidem in hâc exheredatione ritus & causâ exheredationis. Parentes ritè, & eodem ritu quo liberi exheredandi sunt. Quamquam de eo nihil usquam nominatim traditum legimus: tamen ex Constitutione Novellâ Justiniani, & re ipsâ facile intelligi potest. Jubet enim ille exprimi causas, cur parens exheredetur. *Novell. 115. c. 4.* Hoc nihil aliud est quàm jubere, ut parentes nominatim exheredentur. Non enim potest parenti delictum aliquod obijci, nisi designetur persona, quæ deliquit. Hoc autem designare, est nominatim exheredare *§. 1. Inst. de exhered. lib. l. 2. c. 3. in pr. ff. de liber. & postum.* jam quòd jubentur parentes exheredari; hoc ipso satis jubentur exheredari certo iudicio, aliter enim non possunt. Proinde & pupillè exheredari, non sub conditione. *l. 5. ff. de bon. possess. secund. tab.* Utinò & ipsum exheredationis nomen significat summoverti eos debere ab hereditate totâ non parte ejus. Nam & is heres est, qui heres est ex parte. Proinde frustrâ exheredentur ex re certâ exemplo liberorum: *l. 19. ff. de lib. & postum.* Item frustrâ, si non exheredentur à toto gradu, eodem exemplo liberorum. *l. 3. §. 2. ff. eod.*

Justæ verò parentum exheredandorum causâ nonnihil diversæ & pauciores constitutæ, quæ numero octo sunt. Prima, Si parentes ad interitum vitæ liberos suos tradiderint: citra causam tamen quæ ad majestatem pertinere cognoscitur. Secunda, Si venenîs aut maleficijs, aut alio modo parentes filiorum vitæ insidiati probabuntur. Tertia, Si pater nurui suæ, aut concubinæ filii sui sese immiscuerit. Quarta, Si parentes filios suos testamentum condere in Castrensi, vel quasi Castrensi peculio prohibuerint. Quinta, si pater insidiatus fuerit vitæ uxoris, & sic matris filii, vel mater vitæ mariti. Sexta, Si liberis, vel uno ex his in furore constituto, parentes eos curare neglexerint. Septima, Si parens liberos captivos redimere noluerit. Octava, Si liberi fuerint orthodoxi, parentes verò hæretici. Observandum etiam his est; vel omnes causas, vel certas, aut unam ex his liberi suis testamentis inscripserint, & scripti ab eisdem heredes, aut omnes, aut

certas

certas, aut unam ex his probaverint : testamentum in suâ firmitate manere. *d. Novell. us. cap. 4.*

Fratrum officium erga suos fratres consanguineos est, ut eos fratres instituunt aut exheredent. Etsi hi in hac re longè diffimili in causâ sunt à liberis & parentibus : horum tamen etiam institutio aut exhereditatio requiritur. Ad quos instituendos, eodem uti antea modo tria spectantur. Primò, Institutio. Nam ab his fratres consanguinei, ut præteriti de inefficacioso testamento fratris quaestionem movere possunt. *l. 27. C. de ineffic. testam.* Secundò, Modus instituendi. Tertio, Quantitas Institutionis. Hæc quantitas, est hodiè itidem Triens non Quarta ut olim : quia generaliter est à Justiniano constituta omnibus, qui de inefficacioso queri possunt. *Novell. 18. c. 1. in fin.* Ad eosdem verò exheredandos item duo uti prius requiruntur. Primò, Ritus exheredationis. Secundò, Exheredationis causæ. Hæc ingratitude causæ fratrum sunt numero tres. Prima, Si quis mortem fratri suo inferre voluerit. Secunda, Si quis criminalem contra fratrem suum inscriptionem inducere voluerit. Tertia, Si quis jacturam substantiæ fratris sui inferre properaverit. *Novell. 22. c. 47.* De necessariâ Institutione dictum est : jam sequitur Voluntaria.

In Voluntariâ heredum Institutione hereditas merâ testatoris voluntate extraneis personis, dictis superioribus non extantibus. Unde exhereditatio hinc non exigitur. Ut autem hæc institutio jure valeat, quatuor hæc sunt observanda : Persona heredis instituti ; instituendi modus ; numerus heredum ; & partes hereditatis, si plures instituti sint inter eos distribuendæ.

Primò, Persona heredis instituti ejusmodi est, ut non omnes jure institui possint. Solum possunt heredes institui, cum quibus testamenti factio est. *§. 5. Inst. de her. qual. C. diff. l. 49. §. 1. ff. de her. instit.* Testamenti autem factio duplex est, activa & passiva. Activam hinc dicuntur habere, qui possunt testamentum condere, de quibus in primo requisito dixi. Passivam verò hinc dicuntur habere, qui possunt heredes in testamento institui, quorum hinc fit mentio. Hinc heredes institui possunt, Imperatores & Augusti ; *l. 7. C. qui testa.*

fac. poss. l. 16. C. de testam. Filiafamiliâs, furiosi, prodigi, muti, surdi, posthumi, infantes; d. s. 5. Inst. de hered. qual. l. 16. ff. qui testam. fac. poss. Liberi homines, servi proprii, & alieni; l. 31. ff. de hered. instit. Capti ab hostibus; l. 32. s. 1. ff. de hered. inst. l. 28. & 49. C. de Epis. & Cler. Incerti & ignoti; s. 26. Inst. de legat. s. ult. Inst. de hered. instit. l. 11. C. eod. Pauperes; l. 24. C. de Epi. & Cler. Collegia privilegiata; l. 8. C. de hered. instit. Civitates; l. 12. C. de hered. instit. Ecclesia & quilibet locus venerabilis. Novell. 131. cap. 9. Non autem heredes institui possunt, Hæretici; l. 4. & 5. C. de hæret. & Manich. Apostatæ; l. 1. & 4. C. de apostatis. Anabaptistæ; l. fin. C. Ne sanct. baptism. reuer. Nati ex damnato, vel incestuoso coitu; Auth. Ex complexu. C. de incest. & inuisitatu. Novell. 89. s. ult. Damnati in metallum, & in opus metalli; l. 17. ff. de pænis l. 3. ff. de his qua pro non scriptis. Collegia illicita; d. l. 8. C. de hered. instit. Mulier adulterio cognita; l. 13. & 14. ff. de his qua ut indigna. Servus adulterio cum Dominâ macularus; s. 1. Inst. de hered. instit. l. 48. s. 2. ff. eod. Deportati; d. l. 17. ff. de pænis. Hoc tamen in deportatis & similibus extraneis heredibus observatur, ut sit cum eis testamenti factio tribus temporibus: testamenti conditi, mortis testatoris, & aditæ hereditatis: medium tempus inter factum testamentum & testatoris mortem non officit. s. 5. Inst. de hered. qual. l. 6. s. 2. l. 49. s. 1. ff. de hered. instit. At in necessariis, item suis & necessariis heredibus duo duntaxat tempora spectantur: testamenti facti, & mortis testatoris: non tertium, quo hereditas aditur. Mortuo enim testatore sunt statim heredes sine ullâ additione. s. 2. & 3. Inst. de her. qual.

Secundò, Modus spectatur in ijs, quæ institutioni adjiciuntur. Quorum quædam ita vitiosè adjiciuntur, ut sola improbantur; quibus detractis, salva sit institutio: Quædam sic vitiosè adjiciuntur, ut non tantùm ipsa sola, verùm etiã tota institutio improbetur. Quæ ita improbantur, ut sola pro non scriptis habeantur, tria sunt: dies; conditio impossibilis; res certa, ex quâ quis sit heres institutus. Ex die nemo heres institui potest, aut ad diem, vel ad conditionem. Veluti, Titius post quinquennium quàm

quàm moriar, heres esto; vel heres esto donec navis ex Hispaniâ venerit. Sed vitio temporis sublato, pura institutio est, & cùm cœperit perpetua. §. 10. *Inst. de hered. instit. l. 34. ff. cod.* Ex die autem incerto, rectè heres instituitur. Veluti, ille cùm capere poterit, heres esto. l. 62. ff. de hered. instit. Conditio impossibilis testamento adjecta, generaliter pro non scriptâ habetur; sive institutioni adscripta sit, sive legatis & fideicommissis. §. 11. *Inst. de her. instit. l. 3. ff. de cond. & demonstr.* Estque hæc duplex; Una impossibilis Naturâ, cui natura impedimento est, quò minùs existat; veluti, Titius heres esto, si cœlum digito tetigerit; §. 12. *Inst. de inutil. stipulat.* Altera jure est, cùm quod conditione comprehensum est, ut fiat, quod naturâ fieri non potest; jure non potest, quia leges prohibent, aut boni mores; veluti, Titius heres esto, si patrem suum ab hostibus non redemerit; Si uxorem suam dimiserit Ut nihil horum fecerit, nihilominus heres erit. l. 9. & 14. ff. de cond. instit. Ex re certâ, veluti ex fundo, ex certo usus uel, frustra quis heres instituitur: Sed valet institutio detraetâ fundi mentione. l. 1. §. 4. ff. de hered. instit. Quæ verò adjecta ita improbantur, ut tota institutio sit inutilis. Hæc duo sunt: Interdum demonstratio turpis heredis instituti; interdum conditio institutioni adjecta. Turpis demonstratio heredis interdum institutionem vitiat: veluti, si heres institutus appellatus non sit suo nomine, sed demonstratus tantùm signo aliquo, quod contumeliæ causâ solet addi; non valet institutio. l. 9. §. 8. ff. de hered. institur. De conditione institutioni adjectâ sic jus est, heredem etsi non ex die, sub conditione tamen, quæ existere possit, rectè institui. §. 10. *Inst. de hered. instit.* Sub omni enim conditione, quæ existere possit, omnes, (excepto filio suo herede l. 4. ff. de hered. instit. l. ult. ff. de cond. instit. l. 4. C. de inst. & subst.) institui heredes possunt: (ut in institutione liberorum dictum est) nimirum filix, nepotes, & ceteri liberi, quamvis sint in morientis potestate, & ex numero suorum heredum; l. 6. §. 1. ff. de hered. instit. Multò ergò magis liberi emancipari: atque omnium maximè, qui sunt penitus extranei.

Quod tamen non est perpetuum. Sunt n. quædam conditiones, quæ per seipſa vetentur adijci, eoque adjectæ quisquis heres scriptus sit, vitietur institutionem. Hujus generis sunt duæ: Conditiõ quæ in alienam voluntatem aperte confertur; & Captatoria, seu ea, quæ adjecta, captatoriam institutionem facit, id est, eam, quæ ad captandam alienam hereditatem refertur. Prior institutio vitiosa est: Sempronius heres esto, si Titius voluerit; vel, ex duobus Sempronius ille heres esto, quem Titius volet. l. 32. & 68. ff. de hered. instit. Posterior scilicet Captatoria institutio est, quâ testator ita heredem instituit: Titius mihi heres esto, si ille aut Sempronius, me vel Sejum heredem instituet; seu quâ ex parte illi nos heredes instituent: ut colligere est ex l. 71. ff. de hered. instit. Captatoria etenim institutiones jure improbantur propter conditionem de re alienâ obtinendâ insertam. l. 70. ff. eod.

Tertiõ, Tot heredes institui possunt, quot testator voluerit. Hic enim libera est potestas statuendi testatori, ut velit sine exceptione. Unum tantum heredem instituere quis potest, ut tribus verbis testamentum perficiat, si velit, ut dicat: Titius heres esto. l. 1. §. 3. ff. de hered. instit. Plures etiam potest quis instituere, usque in infinitum, quot velit. §. 5. Inst. eod. Non solum plures numero, sed etiam plures gradu. Potest enim quovis gradu plures instituere; potest & plures gradus heredum facere, ut prioribus quibusdam institutis, alios in eorum locum substituat. §. 1. in pr. Inst. de vulg. subst. l. 36. ff. de vulg. & pupill. subst.

Quartõ, In hereditatis partibus idem juris est, quod in numero heredum. Cum etenim quis instituit plures heredes, potest quas velit hereditatis partes facere: vel ut eos instituat ex æquis partibus; vel ut instituat ex disparibus. Potest & in quot velit partes hereditatem dividere, ut tot ratæ sint, quàm multas dixerit, nec plures intelligantur. §. 6. Inst. de hered. instit. Sed quoniam qualescunque & quotcunque partes ex voluntate testatoris futuræ sint, commoditas divisionis exigit, ut certæ partes intelligantur: ideo hujus commoditatis retinendæ causâ juris Auctores hereditatem quoddam totum esse statuerunt, hujusque certas partes. Ab

illis

illis uniuersa hereditas AS appellatur. ASSIS hujus partes duodecim : Uncia, Sextans, Quadrans, Triens, Quincunx, Semis, Septunx, Bes, Dodrans, Dextans, Deunx, As : quarum unaquæque separatim uncia nominatur. *d. s. 6. Inst. de hered. instit. l. 50. s. fin. ff. eod.* Ut autem hujus Assis partes eò melius intelligantur, propria earum nomina sigillatim explicata sunt ; ac unà Sescuncis, cum hujus etiam mentio fit *in l. 8. s. 8. ff. de inoff. testament.* Itaque :

Uncia, est duodecima pars hereditatis.

Sescunx, continet unicam & dimidiam. Inde enim dicitur, quasi semi uncia, & uncia.

Sextans, est sexta pars, id est, duæ uncia.

Quadrans, quarta pars, hoc est, tres uncia.

Triens, tertia pars, id est, quatuor uncia.

Quincunx, tertia pars & duodecima, hoc est, quinque uncia.

Semis, dimidia pars, hoc est, sex uncia.

Septunx, dimidia cum duodecima, id est, septem uncia.

Bes, duæ partes è tribus, hoc est, octo uncia.

Dodrans, duæ partes è tribus cum duodecima, id est, novem uncia.

Dextans, duæ partes è tribus cum sexta, id est, decem uncia.

Deunx, duæ partes è tribus cum quarta, hoc est, undecim uncia.

As, duodecim uncia.

Quamvis hæc omnia nomina indita sint ad numerum significandum & ferè eandem analogiam & verbi originem præ se ferant : tamen hæc quatuor ; Sextans, Quadrans, Triens, & Semis, quorum heredita-

hereditatis portionem significant, id est, numerum partium totius: **extera** verò nomina certum unciarum numerum designant.

D E

S U B S T I T U T I O N I B U S .

Substitutio est prodita, ne nobis existat heres, quem nollemus, si humano aliquo casu, primus institutus heres esse desinat, aut quia non possit, aut quia nolit. Proinde substituere nihil aliud est, quàm gradus quosdam succedendi inter scriptos heredes in incertum casum facere: ut puta; Volo Titium mihi esse heredem, sed si contigerit eum mori sine liberis, Sempronius illi succedat.

Substitutio igitur est institutio heredis in secundo gradu, vel ulteriore in locum deficientis facta.

l. 1. ff. de vulg. & pup. subst. Substitutio in directam & obliquam dividitur. Directa appellatur, quando verba dirigantur ad substitutum; videlicet, Titium substituo. Directæ species sunt tres: Vulgaris, Pupillaris, & Exemplaris.

Vulgaris substitutio est, quæ fit cuilibet à quolibet de vulgo, dum tamen substituens testamentum facere, & substitutus ex testamento capere possit. *Id. in l. 1. ff. de vulg. & pupill. subst.* Hæc substitutio nulli temporis, aut personæ peculiariter addita est, sed liberâ lege patet omnibus, ut in quocumque tempore, & de quacumque personâ eam nostro arbitrio concipiamus.

Pupillaris substitutio est, qua solis impuberibus substituitur. *l. 2. s. 4. ff. de vulg. & pupill. subst.* Hujus substitutionis finis est pubertas, adeo ut etiam si in eâ longius tempus extensum sit, quàm quod impuberes pupillos esse sinat, nihil obstat quod minus finita substitutio habeatur. *l. 14. ff. de vulg. & pupill. subst.* Utrisque autem his speciebus substitutionum commune est, quod aut expressè aut tacitè fiat. Expressè fieri dicitur, quæ ita concepta est

verbis

verbis, ut non sit necesse, neque æquitas suadeat quicquam de voluntate testatoris præter id quod manifestis verbis patet imaginari. Tacite verò substitutio fieri dicitur, quæ ultra id quod scriptum est, etiam aliud quiddam continere videtur, pro consideratione æquitatis in voluntate testatoris: ut, si quis ita substituatur filio suo; volo ut si filius mihi non extiterit heres, Pamphilus illi succedat. Nam in hac substitutione æquitas & ratio suadet, ut intelligamus Pamphilum substitutum, non modò si filius recusat adire hereditatem, verùm etiam si impubes decedat. *l. 4. ff. de vulg. & pupill. substit.* Item est & hæc differentia utrisque communis, quòd reciproca nonnunquam vocantur propter formam sermonis, quã multi simul, tanquam in mutuas vices sibi substituuntur: puta, Titium & Sejum filios meos instituo, & sibi invicem substituo. *d. l. 4. ff. eod.* Et quia magnum est in tali substitutione brevitatis compendium, recentiores eam Breviloquam appellant. Eadem ratione moti substitutionem remissiori lege factam per adverbium *Quandocunq̃ue*, vocant *Compendiosam*: ut si ita substituam heredi instituto; Instituo Titium filium meum heredem, & quandocunq̃ue decesserit, Cajus heres esto.

Exemplaris substitutio est, quando parentes utriusque sexus substituunt furioso vel mente capto ejus descendentes, ut his deficientibus, fratres, vel etiam extraneos, si scilicet neque ascendentes, neque etiam fratres habuerint. Et dicitur *Exemplaris*, quia fit ad exemplum substitutionis pupillaris. Sicut enim pater filio impuberi potest substituere; & adveniente pubertate, cessat substitutio: ita quoque parentes utriusque sexus, furiosis & mente captis substituere possunt; & rediente sanitate, finitur substitutio.

Obliqua sive fideicommissaria substitutio dicitur, quando verba ab instituto ad substitutum dirigantur: ut puta, Sempronium mihi heredem esse volo, eumque rogo, ut si fortè recuset adire meam hereditatem, eam Cajo restituat. Hic obiter notandum, quòd sicuti directæ institutio heredis tantùm fit in testamento, & in nullâ aliâ ultimâ voluntate: ita quoque directæ substitutiones, sunt.

fiunt tantum in testamento. Obliqua autem sive fideicommissaria institutio vel substitutio etiam in Codicillis fieri potest. *§. 13. Inst. de Codicillis.*

Qui verò possunt substituere vel substitui, non est in magnâ disputatione. Nam eadem facultas personarum est in substitutionibus quæ in institutionibus. *l. ii. ff. de vulg. & pupill. subst.* Et est hujus juris & similitudinis inter eas ratio, quia & substitutio dicitur testamentum, neque quicquam differt ab institutione, nisi quòd eam sequitur, & semper illi posterior est. *l. 20. ff. eod.* Possunt autem substitutio & institutio unâ aut diversâ vice fieri, atque sufficit eadem in substitutione solemnitas, quæ in institutione requiritur. Potest item substitutio fieri nuncupativè, cum institutio scripto ædita aut concepta sit, & ediversò. *d. l. 20. ff. de vulg. & pupill. subst.* Præterea potest quis plures gradus heredum in substitutionibus facere, & plures vel unum pluribus, vel singulos, vel ipsos heredes institutos invicem sibi substituere. *l. 36. & l. 37. ff. de vulg. & pupill. subst.*

DE LEGATIS.

IN omnibus ferè testamentis, testatores, aut conjunctis ob propinquitatem, aut extraneis ob merita, quid de bonis suis legare solent. Legare autem interdum significat decernere seu amandare à se personam aliquam pro imperio, quæ vice nostrâ suagatur; unde legatio & Legati dicti, qui à nobis ad alios ita missi mandata nostra deferunt, & in his personam nostram sustinent: *Varro libr. 4. de ling. Lat.* Interdum legandi verbum generaliter cõtinet, quicquid quis statuerit de re suâ, quod in alium post mortem suam conferret; ut puta heredum institutiones, legata quæ propriè ita dicuntur, libertates testamento datas, tutorumque dationes: *l. 120. ff. de Verb. sign. Novell. 22. c. 2.* Interdum legare specialiter ut hîc dicitur, qui res particulares legis modo, id est, imperativè in testamento relinquit. *Ulpian. in instit. tit. 24. de legat.*

Legatum

Legatum itaque est delibatio hereditatis, quâ testator ex eo, quod universum heredes foret, alicui quid imperativè collatum velit. *l. 116. ff. de legat. 1.* Unde legatum civilibus verbis relinquitur; puta do, lego, sumito, capito, & hujusmodi similibus verbis idoneis. Quamvis enim veteres, juxta diversitatem formæ verborum, quibus res assignabantur, quatuor fecerint genera legatorum; per vindicationem, per damnationem, per sinendi modum, & per præceptionem: *S. 2. Inst. de legat.* tamen posterioribus Legislatoribus ita displicuit ista curiositas in verborum solennitate, ut nihil superstitiosè in illorum observatione, requirant. *d. S. 2. Inst. eod. l. 1. C. Communia de legat.* Cùm igitur hoc solum requiratur in disputatione legati, ut oratio sit evidens & perspicua, certum est nihil in eâ cavendum esse, quàm ne verbis impropriis aut ambiguis utantur. Nam ἀνεπίδοξια & amphibolia præcipuè reddunt orationem obscuram. Et legatum purè, & in diem, & ex die, & sub conditione rectè relinquitur. *l. fin. C. communia de legat. tot. iii. C. de condit. insert.*

Ut autem Legatum utiliter relinquatur, in eo quatuor hæc spectantur. Primò, Personæ legantium & legatariorum. De legantibus ita jus est; eos demum legare & fideicommissum relinquere posse, qui testandi jus habent. *l. 2. ff. de legat. 1.* Qui id jus habeant, supra in primo requisito dixi. De Legatariis, id est, eis quibus legatum relinquitur, ita traditur; legati illis solum possè, cum quibus testamenti factio est. *S. 25 Inst. de legat.* Id est iis, non utique qui testamentum facere possunt, sed qui possunt ex testamento nostro capere. *S. 5. Inst. de hered. qual. & diff.* Hi quoque quinam essent, in voluntariâ heredis institutione dixi. Secundò, Res quæ legari possunt. Omnes verò res quæ possunt in privatum hominum venire commercium, legari possunt: & corporales, ut fundus, ædes, bos, pecunia numerata; & corporales, ut servitutes, usus, usufructus, ac prædiorum servitutes. *S. 22. Inst. de legat. l. 41. ff. de legat. 1.* In rebus corporalibus nihil interest, utrum res præseus legetur, an futura; *l. 24. in pr. ff. de legat. 1. utrum nostræ,*

nostra, an aliena; §. 5. *Inst. de legat.* utrum libera, an pignori obligata. §. 14. *Inst. eod. l. 57. ff. de leg. 1.* Licet autem dixerim omnes res, quæ in commercio sunt, legari posse: quarum tamen quædam legari prohibentur. Hujus generis sunt ea, quæ ædibus juncta sunt. l. 41. in pr. ff. de legat. 1. prohibendi ratio est, ne videlicet ruinis publicis deformetur aspectus. l. 2. C. de ædific. privat. Sed hæc prohibitionis ratio non tantum ad ædes pertinet, verum etiam ad balnea, porticus, tabernas, & popinas. d. l. 41. §. 8. ff. eod. Item res mea legata mihi. §. 11. *Inst. de legat.* Hinc inutiliter legantur res divini juris, sacræ, religioſæ, sanctæ; ex rebus humani juris, res publicæ, resque Principis: quippe cum earum commercium non sit. Tertio, Quantitas legati. Olim lege Decemvirali constitutum fuerat, ut uncuivque totum patrimonium, ut antea dictum est, legatis erogare liceret: quæ res efficiebat, ut plerunque heredes scripti hereditatem adire nollent, nimirum cum exigua aut propemodum nulla ad eos rediret utilitas: atque ob id plerique intestati moriebantur. Quod cum non solum ipsis testatoribus inutile esset, sed etiam publice omnium interesset supremas testantium voluntates exitum habere: Visum est ex usu esse Reipublicæ ad eas retinendas, heredes ad hereditatem adeundam justo aliquo lucro invitari. Quod ita fieri posse visum est, si legati modus iniiceretur, ut cum non omne patrimonium exhaustum foret, esset aliquid videlicet quod heredi relinqueretur. §. 1. *Inst. de leg. Falcid. Theophil. Inst. eod.* Unde Lex Furia lata est, quæ cavebatur, ne cui ultra mille aureos legare liceret. Quod si quis majorem summam sibi relictam accepisset, tunc quanto amplius quam per legem liceret, accepisset, uti ejus quadruplum redderet. *Theophil. Inst. de leg. Falcid. Ulpian. in fragmentis Inst. tit. 1.* Atqui potuit, qui quinque millia in bonis habebat, quinque legatariis millenos relinquere, ut in legem non incideret, nec tamen ullo modo quicquam lucri heredi relinqueretur. Ergo cum hæc ratione fieret, ut nihil heres, totum legatarii haberent: Visum est huic Incommodo ita occurri posse, si hoc præterea constitueretur, ne plus legatarius haberet, quam heres. Sic enim fore, ut cum pluribus

intra

intra mille asses testator legavisset, tamen quicquid id esset, tantundem saltem heredi relinquere cogeretur. In quam sententiam deinde lex Voconia lata est. *Theophil. Inst. eod.* Sed si quis cum centum solidos in bonis haberet, unum heredem instituisset, & nonaginta novem legatarius singulos solidos reliquisset, neque legem transgrediebatur, & locum tamen faciebat repudiationi. Ob unum enim solidum, nemo totius hereditatis onera subire sustinuisset.

Quare cum neutra lex id assequeretur, cujus causa maxime inventæ & constitutæ erant, ut heredibus tantum relinqueretur, quantum ad eos ad hereditatem capeffendam invitandos satis esset: ad extremum Lex Falcidia lata est, quâ cautum erat, ne cui ultra Dodrantem, id est, novem uncias totorum bonorum legare liceret, sive unus sit heres institutus, sive plures; sed ut Quadrans, id est, quarta pars bonorum apud heredem heredesve maneret. *S. 1. Inst. de leg. Falcid. l. 1. ff. eod. Theophil. Inst. eod.*

Dicitur autem Falcidia à falce, id est, à diminutione, quam imponit singularibus relictis; refecat enim de legatis, ut falce putantur vites, vel refecantur segetes: vel (quod verius est) à Cajo Falcidio tribuno plebis, qui eam temporibus Augusti tulit. *testante Dione in Augusto, & Eusebio in Chronicis.*

Locum quidem hæc defalcatio tunc demùm habet, quando supra dodrantem aliquid est relictum. Item non solum locum in legatis, sed etiam in fideicommissis singularibus, mortis causa donationibus, & donationibus inter vivos morte confirmatis, habet. *l. 18. C. ad l. Falcid.* In hujus legis ratione incundâ, bona sunt consideranda, sicuti fuerunt tempore mortis. Et prius omne æs alienum, dos, funeris impensa, pretia servorum manumittendorum, id quod ad inventarii confectioem est expensum, & quicquid heredibus debetur, est deducendum: ac tum demùm æstimatione residuorum bonorum factâ, de singulis legatis pro ratâ cujusque, Quarta Falcidiæ detrahetur. *l. 73. ff. ad leg. Falcid. l. 22. §. 9. C. de jure deliber.* Jure nostro Municipali *cap. 17. in princ. & cap. 19. in fin. tit. de hereditariis.*

Novissimè autem Novellâ Cõstitutione provisum est, ne cui ultra Octuncium, si here-

des minus fuerint quàm quinque; aut Sexunctum, si quinque aut plures, legare liceat: id est, ut Triens; vel apud unum heredem, vel duos, vel tres, vel quatuor; Semis verò, aut apud quinque, aut sex, aut septem heredes, aut ultra, remaneat. *Novell. 18. c. 1*

Jure nostro Communi constitutum est, ne cui plus quàm decimam partem omnium bonorum hereditarium legare liceat; id est, ut novem partes apud heredes remaneant: Acquisita verò bona, ut legatis exhauriri possint, sunt permissa ad exemplum legis Decemviralis; uti n. quisq; legasset suæ rei, ita jus esto. *cap. 15. §. 1. tit. de Ecclesiis.*

Jure denique nostro Municipali & quidem omnium æquissimè cavetur, ne cui ultra decimam bonorum duntaxat mobilium partem, si nimirum liberi sint heredes; vel tertiam partem, si heredes sint sanguine conjuncti, intraque Regnum constituti; vel mediam partem, si conjuncti extra Regnum habitent, legare liceat: id est, ut novem partes apud liberos remaneant; duæ apud conjunctos intra Regnum constitutos; & media pars apud conjunctos extra Regnum habitantes. *cap. 19. tit. de hereditariis.*

Quartò, Ademptio Legatorum. Ademptio autem legatorum nihil aliud est, quàm relictorum per contrariam voluntatem propter pœnitentiam testatoris, pura sive conditionalis revocatio. Etsi multi casus passim in titulis *ff. de legat. 1. 2. & 3.* quibus legata fiunt irrita, enumerantur: tamen hîc istos tantùm casus complecti, quibus legata ab Imperatore Justiniano fiunt caduca, sufficiat. Quorum autem casuum genera, tria duntaxat facit: Primum, Si quis leget illi, qui non sit in rerum naturâ: Secundum, Si legatarius non faciat id, cujus gratia illi aliquid legatum est, aut conditio in quam relictum est, non existat: Tertium, Si hoc, quod relictum erat, mortuo jam testatore, deficiat. *l. unic. §. 2. C. de caduc. toll.*

D E
FIDEICOMMISSIS.

Sæpenumerò eveniebat, ut Cives Rom. morerentur, vel cognatos peregrinos, vel spurios, vel alios ejusmodi habentes; quibus neque hereditas, neque legata jure directo relinqui poterant. Dispositum ergo est, ut institueretur alius heres, qui potuit institui, & postea illi fideicommissario restituet. *S. 2. Inst. de fideicom. hered.*

Fideicommissum itaque, est institutio heredis directi, cum hoc modo ut a deat hereditatem, & eam restituat tertio cuidam à testatore precativè nominato, retentâ Quartâ omnium bonorū, si liber. Hinc fideicommissum verbis precariis relinquitur; ut fideicommitto, peto, rogo, mando, volo. *S. ult. Inst. de sing. reb. per fideicom.* Est autem duplex: Universale & Singulare. Singulare fideicommissum est, quando heredis fidei committitur singulas res, id est, domum, fundum, alicui restituere. Et hoc est adæquatum legato. *l. 1. ff. delegat. 1.* Eodem namque jure utimur in eo relinquendo, præstando, transmittendo, petendo aut adimendo, quo in legatis. Unde hûc referantur, quæ suprà de legatis dicta sunt. Universale verò fideicommissum est, quando heres instituitur, & fidei ejus committitur, ut totam vel partem hereditatis tertio alicui restituat: qui fideicommissarius appellatur: & potest expressè vel tacitè fieri. Expressè, ut: Titius heres meus esto, & rogo ut quamprimum a deas hereditatem, eamque restituas Sejo. Tacitè verò fit hoc modo, si pater filium & filiam simul instituerit, & adjecerit: Mando tibi filia ne condas testamentum, si sine liberis decesseris. Per hoc mandatum videtur fidei filia committere, ut hereditatem fratri restituat. *l. 74. ff. ad S.C. Trebell.* Et hoc fideicommiss.

commissum uniuersale non est exæquatum legatis. Nam talia fideicommissa, siue ex Testamento, siue ex Codicillis relinquuntur, suo quodam iure præstantur. Licet tamen hoc habeant cum legatis & fideicommissis singularibus commune, quòd tam ab intestato, quàm ex testamento relinquuntur in Codicillis. *§. ii. Inst. de fidei hered.* In cæteris observationibus ferè sequuntur iura Institutionum & Substitutionum. Planè enim iidem eademque res, iisdem relinqui aut adimi, in Fideicommissis uniuersalibus possunt, sicut in Institutionibus & Substitutionibus. Nam & in his substitutionum iura locum habent. Etenim potest & is, cui restituitur hereditas, rogari ut id rursus, alii vel totum vel partem ejus restituat. *d. §. ii. Inst. de fideicommiss. hered.* Sed in deducendâ Quartâ, aut iure naturæ, aut iure institutionis debita, partim ius Institutionum sequitur, partim suum quoddam habet ius, quod tamen non multum à Falcidiâ legatorum variat. Si commissum est heredi, ab intestato uenienti, gravatus retinet legitimam aut repetit solutum. *iuxta Nouell. 18. cap. 1.* Si ab intestato heredi relictum est fideicommissum uniuersale, tum Senatusconsultum Trebellianum illi ius facit, ut rogatus eatenus restituat hereditatem; quatenus ipsi iure institutionis Quarta Trebellianica totius maneat salua & integra; sicut de Falcidiâ in legatis dixi. Hoc quoque juris concedit idem S. C. fideicommissariis uniuersalibus, ut cogere possint heredem reculantem, ut adeat hereditatem, eamque illis restituat. *juxta. iis. ff. de S. C. Trebelliano.*

DE
 TUTELÆ DATIONI
 N I B U S.

Solent parentes etiam in testamentis, fidel idoneorum hominum imbecillam suorum liberorum ætatem gubernandam committere: quæ gubernatio, Tutela appellatur. Sed ut non solum hæc quæ testa.

quæ testamento defertur, cognita fiat, verum etiam quæ lege, & Magistratu. Idcirco quid sit tutela in genere; de personis certis in quibus tutela consistit; de certâ constituendi ratione; de officio tutorum; de fine tutelæ; & tandem de Actionibus, quæ finitâ tutelâ ultrò citroq; competunt, ordinè agam.

Tutela itaque in genere, est vis ac potestas in capite libero ad tuendum eum, qui propter ætatem se defendere nequit, jure Civili data ac permessa.

S. 2. Inst. de tutel. l. 1. ff. eod.

In hæc definitione quatuor sunt notanda. Primò, in capite libero. Hoc dupliciter salvâ ratione loquendi accipi potest, ut vel ad tutorem referatur, vel ad pupillum. Ad tutorem, ut significetur tutelam esse posse non in quovis, quem tutorem esse velimus, sed duntaxat in capite libero, id est, in eo homine ad tuendum dato, qui capite & personæ statu sit liber. Quia servus quamdiu servus manet, tutor esse non potest. *l. 22. ff. de testam. tut.* Sed & ad pupillum, qui in tutelâ est, eadem verba referri possunt, ut intelligamus tutelam esse vim ac potestatem in capite libero, pro, in caput liberum: significeturque eum qui est in tutelâ, liberum esse debere. Nam servus, quod ad jus Civile attinet, pro nullo habetur. *l. 32. ff. de reg. jur.* Secundò, Ad tuendum eum. Finis hic est hujus potestatis, unde & tutelæ nomen. Dicta est igitur tutela à tuendo, quòd ita esset comparata, ut in quibus hæc potestas est, id est tutores, pupillum sibi commissum tuerentur. Itaque appellantur tutores, quasi tutores atque defensores: sicuti æditui dicuntur, qui ædes tuerentur. *S. 3. Inst. de tutel. l. 1. §. 1. ff. eod.* Notandum autem est, quod dicitur; ad tuendum eum, non ad tuendas facultates ejus: Tutor enim personæ, non rei vel causæ datur. *l. 12. 13. & 14. ff. de testam. tutel.* Tertid; Qui per ætatem se defendere nequit. Itaque tutor datur masculo mi-

F

nori,

nori decimo quarto, & fœminæ minori duodecimo anno. §. 1. *Inst. quib. mod. tutel. fini.*

Quartò, Jure Civili data ac permiffa. Additum, ne quis existimet hæc potestatem in pupillos, posse à quibusvis temerè & pro arbitrio usurpari. Is tutelam obtinet, cui jure data est, aut permiffa. Datur his, qui jure ipfo sine testatoris aut Magistratus operâ vocantur ad tutelam. Permittitur jure ea, quæ prius data est aut Testamento aut à Magistratu. Lex enim dationem utramque permittit, ut ratam esse jubeat.

Personæ in quibus tutela consistit, hæc naturâ duæ sunt; is qui in tutelâ est; tum is, qui in eum tutelam obtinet. Non omnes verò in tutelâ esse possunt, sed solum impuberes qui Cives Romani sunt & simul sui juris. §. penult. *Inst. de Attil. tut. l. 239. ff. de verb. signif.* Neque omnes tutores esse possunt: quidam enim naturâ impediuntur ne sint; quidam jure. Naturâ tutelam gerere prohibentur, qui pupillo ea præstare nequeunt, quæ officium tutelæ desiderat; videlicet ad pupillum regendum & tuehdum; ut, Cæci, muti & surdi; l. 1. §. 2. & 3. l. penult. ff. de tutel. Furiosi, prodigi; §. 5. *Inst. qui testam. tutor. d. l. penult. ff. de tutel. l. 6. ff. de verb. obligat.* & Minores viginti quinque annis. d. §. 5. *Inst. qui testam. tut. §. 15. Inst. de excusat. tut. l. fin. C. de legit. tut.* Jure verò tutores esse prohibentur: ut, Servi; l. 22. ff. de testim. tut. l. 7. C. qui dar. tut. Deportati; §. 2. *Inst. quib. mod. jus pat. potest. sol. l. 17. ff. de pen.* Milites; §. 16. *Inst. de excusat. tut. l. 4. C. qui dar. tut. Creditores, deb. toresve pupilli; Auth. minoris. C. qui dar. tut. pass. No. vell. 72. cap. 1. Fœminæ. l. fin. ff. de tutel. l. 26. in pr. ff. de testam. tut. l. 1. C. quando mul. tut. offic. fung. potest.* Quia tutelam administrare virile munus est, & ultra sexum fœminæ infirmitatis tale officium est. d. l. 1. C. eod. Hodie autem ex omnibus exceptæ sunt matres & avix; quibus pietatis jure datum est, ut possint tutrices esse liberorum; idque his conditionibus. Primò, Si mater ætate major sit; tum si nullus sit testamento paterno datus tutor; quem solum placet matri præferri, legitimis & dativis postpositis: l. 2. C. quando mul. tut. offic. Deindè, Si mater inter gesta nuptiis

nuptiis aliis, & auxilio Senatus Consulti Vellejani renunciaverit. *Auth. Matris & avia. C. eod. Novell. 118. cap. 1.* Jure autem nostro Municipali matres, sive in viduitate permanserint, sive ad secunda vota transferint, tutrices suorum liberorum unâ cum eorum sanguine conjunctis esse possunt. *cap. 11. tit. de nuptiis.* His exceptis, ad tutelam admittuntur omnes, non solum patres familiâs, sed etiam filii familiâs. *S. 1. Inst. qui testam. tut. dari poss.*

Defertur tutela, aut testamento, aut lege, aut à magistratu. Quæ etenim testamento defertur, ex re dicitur testamentariâ; quæ lege, legitima; quæ à Magistratu, tutela dativa appellatur. Unde & tutores dati, alii testamentarii, alii legitimi, alii dativi. Indicant tituli de testamentariâ tutelâ, de legitimâ tutelâ, de tutoribus à Magistratu datis, cum in Institutionibus, tum in Pandectis & Codice. Jure nostro Municipali dicta tutelæ genera, repetuntur *cap. 1. in fin. & cap. 15. tit. de nupt.*

Testamentaria tutela est, quæ in testamento constituitur. Lege enim duodecim tabularum permiffum est parentibus, ut liberis suis, non etiam extraneis, sive masculini sive fœminini sexus, quos quidem in potestate habent, tutores dare possint: cujus verba hæc sunt; ut quisque legalsit super pecuniâ, tutelâ rei suæ, ita jus esto. *l. 120. ff. de verb. sign.* Quia verò nonnunquam accidere solet, ut parentes juris imperiti, in testamento dent tutores, quos dari non oportuit, & tamen talis appareat testatoris in dato tutore voluntas, ea minimè videatur negligenda. Proinde ne honesta testatorum voluntas, quæ pro lege habetur, *Novell. 22. cap. 2. in pr.* periret; permiffum est judici, ut tutorem à patre minus legitimè datum, simpliciter citra ullam inquisitionem aut satisfactionem; *l. 1. §. 2. l. 6. ff. d. confirm. tutor. §. ult. Inst. de tutel. §. 1. Inst. de satisf. tut.* à matre verò ex inquisitione, absque tamen satisfactione, *l. 2. ff. de confirm. tut.* suâ auctoritate confirmet ac pro tutore habendum pronunciet. Dicitur autem inquisitio, morum & fortunæ hominis pervestigatio. Quoties in disputa-

disputationem venit tutelæ commissio, quæri solet à iudice, an ejus, qui datus est tutor, fides & diligentia ita sit perspecta, ut tutò illi possit tutela committi. Deinceps an talis sit ejus fortuna, ut non invadendorum bonorum pupilli gratiâ tutelam ambire videatur, quemadmodum susè explicat *tit. ff. de C. de confirm. tut.*

Legitima tutela dicitur, quando lex dat liberis impuberibus tutores, testamentariis tutoribus non extantibus: quod fit cum testator decessit intestatus, hoc est, nullum, cum posset, testamentum condidit; aut condidit, sed tutores in eo nullos dedit; aut quos testator dedit, vivo eo, decesserunt. §. 3. *Inst. de legiti. agna. tut.* Quoniam lex duodecim tabularum summâ providentiâ constituit; ut qui sperarent successionem, iidem tuerentur bonâ, ne dilapidarentur: *l. 1. ff. de legiti. tutor.* Vel, ut Justinianus ait; ubi successionis est emolumentum, ibi & tutelæ onus esse debere. *Inst. de leg. patro. tut.* Itaque cum veteri jure agnati (Schweremagen) in successione vendicandâ, cognatis (Spillmagen) præferrentur: *§. 1. Inst. de legiti. ag. succ. §. 1. Inst. de suc. cogn.* Tutela quoque prius ad agnatos quàm cognatos devolveretur. Quia rationi congruit, ut succedat in onere, qui substituitur in honore. *c. Rationi. extr. de reg. jur. in 6.*

Ex transmissione exempli hujus agnatorum tutelæ, nata est tutela Patronorum. Nam lege duodecim tabularum patroni ad tutelam suorum libertorum sive liberorum vocabantur, non quidem specialiter vel nominatim, sed per consequentias hereditarum, quæ ex ipsâ lege patronis datæ sunt; *l. 3. ff. de legiti. tut. Inst. de legiti. patro. tut.* exemplo agnatorum, quibus id oneris eâ ratione deferretur, quòd ipsi proximum locum in successione legitimâ sibi peculiari jure vendicent. *§. 1. Inst. de legiti. ag. tut.* Verum hodiè hæc agnatorum successio, in feudis tantùm prærogativam habet. Pari exemplo delata est tutela emancipatorum liberorum ad parentes. Nam postquàm venatusconsulto Tertuliano parentes ad hereditatem liberorum vocati sunt, quos emancipaverant; æquum visum est Prudentibus ut ad eos quoque deferretur tutela eorum, quos emancipati non condito testamento reliquissent

quissent liberos aut nepotes, sicut patrono pupillorum, quos libertus ejus intestatus reliquit, tutela injungitur. *Inst. de legit. parent. tut. l. 3. ff. de legit. tutor.* Est & alia tutelæ legitimæ formula, quæ Fiduciaria tutela dicitur, quando nimirum frater fratris sui emancipati impuberis post mortem patris tutor fit. *Inst. de fiduc. tutel.* Hæc autem tutela, neque ex verbis legis duodecim tabularum, ut Agnatorum; neque ex mente, ut Patronorum; neque Jureconsultorum interpretatione, ut Parentum tutela: Sed tantum ex merâ fiducia, quam lex habebat erga fratres, introducta est. Quia lex confidebat fratres propter jus sanguinis futuros diligentiores in defendendâ personâ fratris impuberis; quare eam appellavit fiduciariam, à fiducia.

Justinianus autem immutato hoc veteri successione jure, *Novell. 118.* unâ quoque veterem legitimæ tutelæ rationem immutavit, dum ubique eandem illam æquitatis regulam retinet, quam & veteres in hâc tutelâ deferendâ secutierant; ubi successione est emolumentum, ibi & tutelæ onus esse debere, *Inst. de legit. par. tut.* Secundum quam regulam ita constituit in d. *Novell. cap. 5.* ut prout quemque prius heredem ab intestato esse voluerat, cum quoque ab intestato eodem gradu atque ordine tutelæ onus sequatur; nec quidquam interfit, agnatus is sit, an cognatus tantum. Hæc itaque istius juris de legitimis tutoribus summa est. Cum in successione libertorum impuberum nihil innovet Justinianus, manet in his nimirum legitima patroni & liberorum ejus tutela, quæ olim fuit. In legitimâ parentum tutelâ hæc immutavit. Nam cum in successione descendantium, qui sine liberis decesserunt, vellet patrem & matrem primo loco heredes esse, & patrem quidem, siue is filium emanciparit, siue avus, cum in ejus potestate nepos esset: subducto autem patre, vocet simul avum tam maternum, quam paternum, si ambo vivant, aut uno sublato superstitem: hoc amplius & cum parentibus successuris, vocet unâ fratres ex utroque parente conjunctos defuncto:

hinc intelligimus istis mortuo impubere superstitibus hunc legitimæ tutelæ ordinem & jus futurum, ut pater etiam qui non emancipavit, & fratres defuncti quamvis emancipati, legitimi sint tutores: post patrem autem avus etiam maternus ad tutelam vocetur, & si superstites erunt avus paternus & maternus, item defuncti fratres, omnes in tutelam concurrant. Quâ parte etiam Justinianus mortuo parente emancipatore, fideiuciarium patris & fratrum impuberis tutelam sustulit, legitimam induxit. Quâ ratione & cum parens nullus est, deferatur tutela proximo cuique cognato, si ve is agnatus sit, si ve cognatus tantum: postquam ei deferatur legitima hereditas.

Jus verò nostrum, etsi eandem æquitatis regulam sequitur; nimirum quos ad hereditatem vocat, eosdem & tutores esse constituit: tamen à Justiniano successionis jure discrepat, simul quoque in ejusdem legitimæ tutelæ deferendæ ratione: Exigit enim ut primo loco liberi; Secundo, pater & mater; Tertio, sorores & fratres, tam uterini, quam utrinque conjuncti; his tamen ob duplex jus major hereditatis portio scilicet Dodrans, illis v. minor videlicet Quadrans, tribuitur; Quarto, avus & avia; Quinto, patruus & avunculus; Sexto, patruales & matruales, ad successionem vocentur: Hoc quoque ordine ad tutelæ delationem. Hinc liquet, cognationis & agnationis jura per omnia esse exæquata. *cap. 15. §. 1. tit. de nupt. c. 1. §. 2. tit. de hered.*

Satisfactio à legitimis tutoribus requiritur. *§. 1. Inst. de satisfact. tut. l. 5. §. 1. ff. de legit. tutor.* Quibus enim non ante rerum pupillarium administratio conceditur, quam si satisfactionem, rem pupilli salvam fore, datis fidejussoribus, præstiterint. *l. 1. §. ult. C. de tut. §. curat. qui non satisf.* Est etenim satisfacere tutelæ nomine, stipulanti si ve pupillo, si ve alii, cui de eâ re stipulandi jus est, promittere se pupillum indemnem præstaturum, & dare in eam rem fidejussores, qui quod tutorem ex eâ causâ præstare oportebit, spondeant. Unde hæc cautio dicitur Satisfactio de indemnitate pupilli. *§. 2. Inst. de satisfact. tut.* Usitate autem Cautio, seu Satisfactio

datio rem pupilli salvam fore. *l. 3. & 4. C. de tut. qui sat. non ded.*
 Satisfatio ergo tutoris hoc præstat, ut tutela non rectè gesta, si
 quid eo nomine debeat tutor, nec solvendo sit, conveniri possunt
 fidejussores, atque hoc modo res salva esse possit pupillo. Jus
 nostrum etiam satisfationem exigit: Si verò tutores satisfacere no-
 luerint; ut quotannis proximis pupilli cognatis rationem suæ ad-
 ministracionis reddant. *d. c. 15. §. 1. tit. de nupt.*

Dativa tutela est actus legitimus, per quem datur tutor im-
 puberi purè, à judice mixtum imperium habente ad petitionem
 matris vel proximorum consanguineorum testamentariis, vel legi-
 timis tutoribus non extantibus. Nam cum nec testamento datus
 est tutor, aut qui datus est, propter suspicionem remotus, vel per
 excusationem dimissus est, vel quamcunq̃ue ob causam naturalem
 vel civilem desit esse tutor; nec est in cujus tutelam ratione legi-
 timæ necessitudinis deveniat pupillus: tum tanquam ad extre-
 mum præsidium, prospiciendi rebus pupilli ad Dativam tutelam de-
 curritur, atque ab ordinario Magistratu illi tutor datur. Nam tu-
 torem habenti, tutor dari non potest. *l. 11. C. qui da. tut. vel curat.*
puff.

Pupillis igitur utroq̃ue tutore carentibus, olim ex lege
 Atiliæ Romæ à Prætoře Urbano cum majore parte Tribunorum
 plebis tutor dabatur; unde Atilianus est dictus: in Provinciis
 verò ex lege Juliæ & Titii à Præsidibus Provinciarum; ex quibus
 Julius Titianus est appellatus. *§. 1. Inst. de Atilia. tut. Theophil. Inst.*
ead. Cum autem prædictis legibus, neque de cautione à tuto-
 ribus exigendâ, rem pupillis salvam fore; neque de compellendis
 tutoribus ad tutelæ administracionem quicquam caveretur. Itaq̃;
 Divus Claudius (testante Suonio in Claudio Cæsare *cap. 23.*)
 sancivit, ut Consules pupillis utriusq̃ue sexus tutores secundum ju-
 risdictionem suam dare deberent: hoc est, inquirentes, an hi qui
 tutores erant dandi locupletes essent, an honestam frugiq̃ue vitam
 ducerent, an deniq̃ue alienis bonis administrandis sufficerent.
 Post Consules autem & Prætores ex Constitutionibus eandem rem
 ad curam suam revocarunt. *§. 4. Inst. eod. Theophil. Inst. eod.* Ho-
 diè idem

diè idem jus observatur. Licet enim jam ut olim, Romæ Præfectus Urbis aut Prætor; in Provinciis verò Præses vel ejus jussu Magistratus, tutores dent: tamen quisque secundum suam jurisdictionem ex inquisitione tutores dare debet; §. 5. *Inst. eod.* Si tamen facultates pupilli non excedant quingentos aureos, Justiniani Constitutione dispositum est, ut tutores à quovis magistratu dari possint. §. 6. *Inst. eod.* *Theophil. Inst. eod.* Jure item nostro Municipali constitutum est, ut Consules & Senatores Civitatis pupillis tutores, legitimis non extantibus, ex inquisitione dent. *cap. 15. §. Si cognati non extant. tit. de nuptiis.* Verùm non est semper expectandum, ut Magistratus suâ sponte, hanc tutelam alicui mandet, sed certis quibusdam personis eorum tutorum petendi necessitas incumbit. Nam si mater aut cognati, & quicumque sunt in proximâ spe succedendi pupillo, cessent illi petere tutorem à magistratu dari, & pupillus moriatur, tum ab ejus successione excluduntur. *l. 2. §. 1. ff. qui petant tutor. l. fin. C. eod.* Item libertus si supinâ quâdam negligentia intermittat petere tutorem liberis sui patroni, subit periculum diserti obsequii, & in servitutem revocatur. *l. 2. C. qui petant tutor.* Neque satis est has personas petiisse tutores, nisi idoneas quoque petierint dari. Cùm in hoc studio, etiam consilium punitur. Idoneus autem utcumque videtur tutor, si locuples sit, ut damnû pupillo datum possit compensare. *l. 2. ff. ad S. C. Tertul.* Illi verò qui non sunt in proximâ spe succedendi pupillo, ut sunt affines, extantibus cognatis, nullâ poenâ ad petendû tutorem coguntur, sed solius honesti officii ratione id ab illis expeditur. *l. 2. ff. qui pe. tut.* Porro, cùm aut nulli sunt quibus necessitas petendi tutoris incumbit; aut qui sunt, facere illud negligunt: potest à Magistratu nullo etiam petente dari tutor pupillo. *l. 1. ff. de jurisdic. l. 6. C. qui dare tutor. poss.* Non tamen quemvis statim potest dare tutorem, qui dandi ejus habet facultatem, aded ut nec omnes illi, qui in testamento dari possunt, à Magistratu dari queant. Neque enim miles armatæ militiæ, aut servus, aut colonus patrimonialis, aut fisci

aut fisci curator, aut etiam curialis dari tutor potest. *l. 4. 7. 6. l. fin. C. qui dare tut. vel curat. poss. l. ult. C. de tutor. vel curat.* Quamvis etiam ei, qui tutorem habet, alius dari non possit: tamen certis ex causis; ut si diu absens sit, si relegetur, vel propter suspicionem removeatur tutelâ, potest alius dari tutor. *l. 4. C. in quibus casib. tutor. vel curat. habent. tut. vel curat. dar. pot.* Cæterùm Satisfactio à dativis tutoribus regulariter requiritur. *Inst. de satisfact. tut. in princ. §. 6. Inst. de Attilia. tut. l. fin. C. de auctov. prestan.* Nisi fortè hæc sint tutorum facultates, ut eis remittatur satisfactio, eò quòd bona eorum sufficiant ad resarciendum damna, quæ per eos data deprehenduntur. *l. 27. C. de Episc. audient.* Jure etiam nostro ab hisce tutoribus satisfactio requiritur: Si v. satisfactioem præstare noluerint, hoc jure singulis annis Consulibus & Senatoribus Civitatis rationem suæ administrationis reddere tenentur, *d. cap. 15. §. Si cognati non exierit. in de nupt.*

Officium tutorum, sive sint testamentarii, sive legitimi, sive dativi, partim in administratione, partim in potestate consistit. Tutori quidem administrationem suscipienti comprimis incumbit, ut omnes pupilli res, præsentibus publicis personis, videlicet giudice & tabellario, describi, & in Repertorium sive Inventarium referretur: *l. 24. C. de administrat. tut.* alioqui in dolo malo esse præsumitur, & tenetur in id quod pupilli interest, quod ex jurejurando in litem æstimatur: *l. 7. in princ. ff. de administrat. tut.* quin & removeri ut suspectus; ac pœnis legitimis affici; & tandem perpetuâ infamæ maculâ notari, potest. *l. fin. §. ult. C. arbitrium tutela.* Et est hoc inventarium illi describendum, non tantùm, ut pupillus rerum traditarum quendam judicem habeat, verùm etiam ut si aliquo casu pereunt Chirographa debitorum, ipse possit debitores pupilli ex testimonio inventarii convenire ad solvendam pecuniam, aut novationem faciendam cogere. *l. 57. in princ. ff. de administrat. & pericul. tut.* Postea danda est illi opera, ut pupillum bonis præceptoribus ad rectè instituendum, tradat; mercedes præceptoribus, non quas minimas poterit, sed pro facultate patrimonii, & pro dignita.

dignitate natalium continuat; *l. 12. §. 3. ff. de administrat. & pericul. tutor.* alimenta sufficientia & isti ætati convenientia pupillo, ejusque servis & libertis, nonnunquam etiam exteris, si hoc pupillo expediat, præstet; *l. 3. §. 14. ff. de suspect. tut. tot. tit. C. de aliment. pupill. præst. d. l. 12. §. 3. ff. de administrat. & pericul. tut.* Corpus & salutem pupilli tueatur; *l. 7. in princ. ff. de curat. pupillum defendat, si ab alio conveniatur; l. 30. ff. de administrat. & pericul. tut. l. fin. C. eod.* pro pupillo promittat, solvat, & judicium contra alium intenet; *l. 10. ff. de administrat. & peric. tut.* res pupilli non teneat ociosas, sed illis aut comparet prædia, aut eos det in usuras, si ejus substantia est mobilis, ut inde sustentetur; *l. 7. §. 3. ff. de administrat. tut. Authent. Novissimè. C. eod. Novell. 72. cap. 7.* Nomina debitorum exigat, non modò ab aliis, sed à seipso quoque; *l. 9. ff. de administrat. tut.* Et tandem eam rerum pupillarum tuendarum augendarumque diligentiam adhibeat, quam bonus & diligens paterfamilias suis rebus ex bonâ fide præbere solet; *l. 33 in princ. ff. eod.* Quia verò non satis tutum est, ut ubi vis capiat alimenta pupillus, legibus cautum est, ut si mater vitricum pupillo non induxerit, apud eam alatur; *l. 1. C. ubi pupill. educ. deb.* Ac si fortè oriatur questio, ubi pupillus alere debeat? legibus tutius videtur, ut extraneus præferatur illi qui est in spe succedendi pupillo; *l. 2. C. eod.* Est autè potissimum cura adhibenda, ne apud eos educeretur, ubi pudicitia ejus periclitaretur; *l. penult. ff. ubi pupill. educ. deb.* Quod autem ad tutoris potestatem attinet, quæ rectè rerum pupillarum administrationi convenit, ut rata sint, quæ in his geruntur, ea ferè una hæc & summa est, si tutor in eâ administratione, cum res postulat, pro domino habeatur. Est enim domini solius de re suâ statuere, ut velit: & dum major sit viginti quinque annis, nec ei alienatio rerum sit interdicta, quidquid ille hæc gesserit, ratum est; *l. 21. C. mand.* Et verò ut firma esset in rem pupillorum administratio, istam quoque potestatem tutorum esse placuit, de quâ in universum ita traditum legimus: tutorem, qui tutelam gerit, quantum ad providentiam pupillarem, domini loco haberi debere; *l. 27. ff. de administrat. tut.* Item, tutorem in re pupilli
tunc

tunc domini loco haberi, cum tutelam bene administrat, non cum pupillum spoliat. *l. 7. §. 3. ff. pro emptore.* Proinde non nisi in certis casibus; ut in alimentis pupillo, ejus servis, libertis, matris; egenæ, aut sorori de largis pupilli facultatibus præstandis; mercede præceptoribus dandâ; solemnibus muneribus parentibus cognatisque mittendis; & dote sorori ex eodem patre pupillo natæ, constituendâ, tutori rem pupilli alienare licet: *l. 3. §. 14. ff. de suspect. tut. l. 1. §. 2. & 4. ff. de tutel. & rat. distrab. l. 12. §. 4. ff. de administr. tut.* Et in universonum res pupilli, quæ servando servari non possunt; ut, vestes detritæ usi seu corruptæ, vinum, oleum, frumentum, animalia supervacua, &c. licet tutori divendere. *l. 22. in fine & l. final. §. ult. C. de administrat. tutor.* Reliquas verò res, quæ servando possunt servari; ut sunt aurum, argentum, gemmæ, vestes, domus, horrea, balneæ &c. non conceditur tutori distrahere, nisi per inquisitionem judicis, & probationem causæ, interpositionemque decreti, ut fraudi locus non sit: Nec inventarium minuere, neque mutare, vel subtrahere aliquid, tutori permittitur. *l. 16. & 22. C. eo. R. u. sum autem pupillus ita obstringitur tutori jure tutelæ, ut cum nullo quicquam possit pacisci, unde mutua oriatur obligatio, nisi tutor auctoritatem suam interponat, id est, contractum probet. Nam quod judicio animi sit, in eo tutoris consensus necessarius est, aded ut si pupillus, neglectâ auctoritate tutoris, cum quopiam contrahat, ipso jure contractus sit nullus, quia absque eâ pupillus nec velle, nec nolle creditur. l. 41. ff. de condit. indeb. l. 189. ff. de reg. jur.*

Finitur tutela & quidem certis causis sive modis: scilicet ut secundum regulam juris, quibus rebus ab initio consistit tutela his sublatis & in contrarium actis, eadem finitur. *l. 35. ff. de reg. jur.* Solvitur itaque, aut pubertate pupilli; aut arrogatione; aut deportatione; aut servitute; aut captivitate; aut conditionis eventu; aut morte naturali tam pupilli, quam tutoris; aut captivitate diminutione; aut temporis eventu; aut ob doli suspicionem; aut justâ tutoris à tutelæ onere, excusatione. Causæ verò excusandæ,

excusandi ab onere tutelæ gerendæ sunt: ætas grandior, adversa valetudo, paupertas, multitudo liberorum, imperitia literarum, absentia Reipublicæ causâ, onera trium tutelarum, inimicitie capitales, injuriæ atroces, militia, publicum docendi munus, magistratus, dignitatis splendor, administratio rerum Principis, data à Principe transferendi domicilii licentia, & Regionum distantia. Propter has autem causas excusantur à tutelæ onere illi, quibus ritè ea imposita est. Nam illi quibus tutela non ritè imposita est, absq; his causis, ipso jure ab eo tutelæ onere liberati sunt. *l. 13. §. 12. ff. de excusat. tut.*

Quia verò causæ excusandi se à tutela, peculiaribus titulis complexæ sunt, & disertè ac perspicuè in illis explicatur, quatenus quæque locum habeat, ut quis ad harum cognitionem non opus habeat interprete, aut fusiore commendatione, ipsos titulos argumenti loco sub jectio: ut, *iii. Inst. quibus mod. tut. finit. tit. Inst. & ff. de capit. diminut. tit. Inst. ff. & C. de susp. & tut. vel curat. tit. Inst. ff. & C. de excusat. tut. vel curat. tit. C. quando tut. vel curat. esse desinant: Si tutor vel curat. fals. allegat. excusatus sit: Si tutor vel curat. Reipub. causâ aberit: De excusat. Veteranorum: Qui nume. libero. se excusant: Qui morbo: Qui ætate: Qui numero tutelarum: De hiis qui numero. liber. vel paupertat. excusat. meruerunt: De Professorib. & Medicis: De Asbletis. lib. 10.*

Jure nostro Municipali excusationum causæ à tutelæ administrandæ onere sunt: Imperitia negociorum, ætas grandior, adversa valetudo, & lis pupillo mota, *cap. 16. de Nupijs.* Verùm quòd ad hanc litem attinet, ea ejusmodi facit, ne is tutor sit ipso jure, qui eam cum pupillo constitutam habet: quoniam tutor in eâ lite; aut controversiam de hereditate sive universis bonis pupillo movet, aut creditor est pupilli, aut debitor. Horum autem alterum sufficit, ne qui in eâ causâ est, tutelam administret.

Finitâ demum tutelâ, tutor actus sui & administrationis rationes reddere coram judice tenetur. Durante autem tutelâ, judicialiter conveniri non potest: *l. 4. in princ. ff. tutel. & rat. distrab.* absurdum enim esset, rationem administrationis reposci ab eo, qui etiamnum in eâ perseveraret, *l. 9. §. 4. ff. eod.* Ceteri tamen admini-

administratores, singulis annis rationem reddere tenentur: *Clem. 2. §. 1. ubi gloss. ad verb. singul. annis. extr. de religio. domib.* Quod jus Saxonicum in tutoribus etiam sequitur; qui si pupillo ipsi non existant proximi heredes, coguntur proximioribus successoribus hoc jure quotannis calculum administrationis ponere: *Land. lib. 1. art. 23. 41. 44. & 45.*

Huic nostrum jus convenit, hâc quidem ratione, ut legitimi tutores proximis cognatis; dativi verò Consulibus & Senatoribus Civitatis, singulis annis, satisfactione non præstitâ, rationem suæ administrationis reddere teneantur. *d. cap. 15. tit. de Nuptijs.*

Obligatio autem, ex quâ Actio tutelæ nascitur, non provenit ex contractu, sed quasi. Et oriuntur mutuæ Actiones, directa & contraria. *§. 3. Inst. de obligat. qua quasi ex contractu nasc.*

Directa datur pupillo, quâ convenit tutorem de reddendâ ratione. Hæcque duplex est, una tutelæ actio, altera de distrahendis rationibus.

Et hîc sciendum est, in arbitrio pupilli esse, utrâ actione magis experiri adversus tutorem surreptorem velit; & unâ electâ, altera tollitur. *l. 1. §. 21. ff. de tutel. & rat. dist.*

Actio & arbitrium tutelæ est, quâ tutor ad reddendam rationem gestæ tutelæ cogitur. Et ut competat pupillo hæc adversus tutorem actio, necesse est quòd tutor aut fecerit quod non debuit, aut non fecerit quod oportuit illum facere. *l. 1. ff. de tutel. & rat. dist. l. 7. C. arbit. tutel.*

Quæ verò facere tutorem oporteat vel non, antea de officio tutorum ostendi. Datur autem hæc actio pupillo & ejus heredibus, adversus tutorem ejusque successores. *l. 12. C. arbit. tutel.* Præterea conveniuntur actione tutelæ, qui aut ipsi per se aut per alium postulaverunt, & nominatim expetiverunt aliquem dari tutorem; aut pro illis qui dati sunt fidejusserunt rem pupilli suo periculo salvam fore: Item postulatorum & fidejussorum heredes. *l. 2. & 3. ff. de fidejuss. & nominato. l. 1. & 2. C. de fidejuss. tut. vel curat.*

Novissimo tamen jure necesse est ut priùs conveniantur principales debitores, quàm mandatores aut fidejussores. *Novell. 4. cap. 1.* Postremò, convenitur etiam hæc actione Magistratus, qui pupillo non habenti testamentarium tutorem aliquem dare neglexit; aut non satis idoneum dedit; vel ab

eo quem dedit, satisfactionem non exegit, quâ cautum esset rem pupilli salvam fore. *l. final. ff. de magistrat. convenien.* Et in hac quidem actione, pupillus omnibus Chirographariis creditoribus præfertur. *l. 42. ff. de administr. & pericul. tut.* In hanc actionem veniunt: Rationum confectio, & exhibitio: *l. 1. §. 3. ff. de tutel. & rat.* Res minoris necdum restituta, & reliqua: *l. 46. ff. de administr. & pericul. tut.* Item, quicquid dolo, culpâ, negligentia tutoris, vel abest commodi, vel adest damni: *l. 7. §. 2. ff. de administr. tut. l. 1. ff. de tut. & rat. dist. l. 6. & 7. C. arbitr. tut.* Non item quando res casu est amissa: *l. 3. & 4. C. de pericul. tut. & cur.* Nostro tamen jure etiam fortuitus casus venit: Bona enim pupilli, si ve aquis immerisa, si ve vi ignis absorpta fuerint, sunt ipsi restituenda; *Warne god; mā ey siuncka eller briinna. cap. 15. tit. de Nupijs.* Est autem hæc Actio Bonæ fidei; & famosa, si quis ob dolum condemnatur. *l. 1. §. 1. ff. de tut. & rat. dist. §. 7. Inst. de suspect. tut. l. 1. ff. de his qui not. infam.* Actio de rationibus distrahendis; hoc est, jam distractis, conturbatis, finitis, datur adversus tutorem, de iis rebus quas ex bonis pupilli, durante tutela, abstulit. *l. 2. in pr. ff. de tut. & rat. dist.* Quamvis enim intercepta res per actionem tutelæ recuperari possit à pupillo: tamen cum surreptio rerum pupillarium etiam pœnâ digna videatur, placuit ex eadem obligatione constitui actionem de rationibus distrahendis, quâ non solum res surrepta, sed tantundem in pœnam à pupillo peteretur. *l. 2. §. final. ff. eod.* Ac siquidem surreptio animo furandi facta est, datur pupillo etiam furti adversus tutorem actio, quæ per actionem distraendarum non tollitur, quia ex eadem obligatione tutela & furtum non oriuntur. *l. 1. §. 22. ff. eod.* Unde quia pœnalis est, in heredes non transit. *d. l. 1. §. 23. ff. eod.* Contraria autem actio datur tutori, quâ convenit pupillum ad repetendum ea, quæ in res pupilli utili consilio impendit. *§. 3. Inst. de obligat. qua quasi ex conti. nasc.*

DE
MANUMISSIONIBUS.

Quoniam totum hoc manumissionum jus ab usu nostro recessit; capropter in quo pertractando brevis ero. Manumissio à jure Gentium originem sumpsit: l. 4. ff. de just. & jur. l. 4. & 5. ff. de sta. hom. Non autem à naturâ, ut Aristoteles in Polit. evincere vult. Quemadmodum enim jure Gentium inductum est, ut bello capta fierent victorum: sic æquum visum est, ut qui redimere se possent, ab illa se servitute liberarent. Quod eodem modo postea in iis quoque qui servi nati essent, concessum est.

Plautus Rudente:

*Nunc hæc occasio Gripe obrigit, ut liberet ex templo
Prætor te. nunc sic faciam sicut cõsiliu est, ad herum ut veniant
Doctè atq; asturè ego illi paucillarim pollicitabor
Pro capite argentum, ut sim liber, ac me emittat manu.*

Moses verò Judæis hanc legem dedit, ut si Judæus in summam inopiam redactus se Judæo vendidisset, post annos sex in servitute confectos, manu ab emptore emitteretur. Exod. cap. 25. & Deut. c. 15.

Manumissio itaque, est de Manu, id est potestate, missio: hoc est, datio libertatis. d. l. 4. ff. de just. & jur.

Manumissio autem multis modis fit: s. 2. Inst. de libertinis. Aut enim ex Sacris Constitutionibus in Sacrosanctis Ecclesijs.

Ut olim per Censum (Census significat tabulam aut chartam, in quâ Romani facultates suas conscribebant, ut belli tempore, pro modo patrimonii sui unusquisque conferret.) in Populi Romani

Comitiis

Comitus servi manumittebantur, honoratiore quodam modo relati in censum numerumque Civium: *Ulpian. tit. 1. de liber.* ita postea sub Christianis Imperatoribus jure census jam obsoleto, in Ecclesiis servi manumitti coram multitudine piorum, & velut in Comitibus Ecclesiasticis recipi in numerum Civium cœperunt. *l. 1. & 2. C. de his qui in Eccles. man.* Hanc enim imitationem à populo Romano sumptam esse, verba hæc Imperatoris Constantini *ex. d. l. 2.* non obscure demonstrant: Qui religiosâ mente, inquit, in Ecclesiæ gremio servis suis meritum concesserint libertatem, eandem eo jure donasse videantur, quo Civitas Romana solennitatibus decursis dari consuevit. Nam solennitates decursas, Comitiorum & Census morem obsoletum intelligit. *Cajus* quoque posterior in Institutionibus pro Censu, Ecclesiam nominat: quo modo, inquit, manumissi Cives Romani sunt. **Aut Vindictâ.** Hoc est, Virgâ Prætoris, quam licetor manumittendi servi capiti imponens, eundem servum in libertatem vindicabat. Dicta est autem Vindicta à Vindicio, Bruti servo, qui primus hoc modo manumissus traditur. *Plutarch. in libr. de his qui tard. à Deo puniunt.* **Aut inter amicos.** Quinque nimirum testibus adhibitis, apud quos manumissionem suam profiteatur: quam postea vel ab ipsis, vel à tabulario publico & conscribendam & consignandam curet. *l. uni. C. de latin. libr. toll.* **Aut per Epistolam.** Quinque similiter testibus adhibitis, qui cautioni hujus manumissionis à domino scriptæ vel signatæ subscribant. *d. l. unic. §. 1. C. eod.* *Tertul. in lib. de Resurrect. carn.* Oro te, si famulum tuum libertate mutaveris, quia eadem caro atque animâ permanebunt, quæ flagellis, & compediibus, & stigmatibus obnoxia retrò fuerant, iccircone illum eadem pati oportuit? non opinor. Atqui est vestis albæ nitore, & aurei annuli honore, & patroni nomine ac tribu mensaque honoratur. **Aut per testamentum.** Quod duobus fit modis: Aut directo, cum testator brevi manu & directis verbis libertatem servo tribuit, hoc modo; *Stichus liber esto, liber sit, liberum esse jubeo;* hoc casu

hoc casu ipfius testatoris fit libertus, qui Orcius appellatur, quasi Orci, five Plutonis libertus: §. 3. *Inst. de sing. reb. per fideicom. reli.* Aut per fideicommissum, ut puta; rogo, fidei committo heredis mei, ut Stichum servum manumittat; quo casu non testatoris, sed manumissoris fit libertus. *d. s. s. Inst. eod.* Aut per aliam quamlibet ultimam voluntatem, puta Codicillos, &c. Aut aliis multis modis libertas servo competere potest; quorum plerique omnes enumerantur *in d. l. unic. C. de latin. lib. toll.*



QVARTUM:

De testatoris & testium contestatione.

IN testatione & declaratione voluntatis testatoris, hoc primùm tenendum est, non esse necesse testes ea scire, quæ in testamento scripta sunt, ut coram ipsis testator ea pronuciare debeat: sed sufficere scripturam testamenti etiam clausam & involutam, atque adeo consignatam & ligatam proferre. *l. 21. in princ. C. de testament.* Quod reliquum est, ad hujus scripturæ testationem tria hæc præstare debet. Primùm, scripturam tenens aut certò demonstrans testibus præsentibus dicit suum hoc testamentum esse. Secundo loco, petet à testibus, ut subscribant & obsignent. Tertio, scripturam in manum sumens ei in extremâ parte subscribat: aut si literas nesciat, vel morbo impeditus subscribere nequeat, adhibebitur octavus aliquis, qui ejus nomine subscribat. *d. l. 21. in pr. & vers. quod si C. eod.* Subscriptio testatoris hoc testabitur, ipfius esse testamentum. *argum. l. penult. ff. qui testam. fac. poss. nempe his*

H

verbis,

verbis, aut similibus: Ego Publius Mævius testor hoc meum esse testamentum. Hæc testatione testatoris positâ, sequitur testium mutua testatio. Unde & tota hæc actio dicta est Contestatio suprema, in l. 20. §. 8. ff. qui testam. fac. poss. quoniam simul hic testantur testes & testator: hic voluntatem suam testatò declarando; illi testimonium præbendo. Ea testium testatio quatuor hæc continet. d. l. 21. C. de testament. Primum, ut subscribant testes testamento: Subscriptio est annotatio eorum, continens, quis cujus testamentum signaverit; d. l. penult. ff. qui testam. fac. poss. hoc modo: Ego Lucius Titius hoc testamentum Publii Mævii subscripsi. Deinde, ut obfignent, seu signum testamento imponant. Quo loco quaesitum est, utrum annulo signatorio solum signare debeant, an verò possint alio quovis impresso, quo signare soleant? Et ut vulgaris lectio est, ita scriptum est, in l. 22. §. 5. ff. qui testam. fac. poss. magis esse, ut tantum annulo quis possit signare: dum tamen habeat *æquum*. Baro ad §. 6. Inst. de testa. ord. putat deesse negationem, & ita legendum esse: & magis est ut non tantum annulo quis possit signare. Idem & Bartolus sensit. Is enim ad d. §. 5. summam loci ita concepit: signari potest annulo, vel sigillo, vel alio quovis signo: ut appareat eum aut eodem modo legisse, quo supra, aut ita legendum censuisse. Quorum sententia est vera, & certo jure defenditur. §. 4. Inst. de testam. ord. d. l. 21. C. eod. Tertio, ut hæc faciant simul & presentibus reliquis testibus. Hoc autem est, quod dicitur in d. l. 20. §. 8. ff. qui testam. fac. poss. testes, qui propter solennia testamenti adhibentur, durare debere, donec suprema contestatio peragatur. Hoc tamen ita, nisi casus aliquis testem invaserit, quo fiat, ut testem subduci oporteat, vel propter curationem, quam ceteri metuant, tum enim concessum est, eum, qui id patitur, subduci ceteris manentibus: dum tamen is prius officio testis functus sit, id est, audita testatoris testatione, testamentum obfignarit, & subscripserit. l. 8. C. de testam. Ultimo, ut eodem tempore hæc peragant. Hoc rursum illud est, quod veteres dixerunt, uno contextu actionis testari oportere: ut sit, testes cum testatore uno contextu actionis testa-

mentum peragere debere. *d. §. 4. Inst. de testam. ord. §. l. 21. §. ult. ff. qui testam. fac. p. off.* ubi uno contextu esse dicitur, nullum alienum a testamento intermiscere. Et alienum esse id, quod ad testamentum non pertineat. Quod si testator aliquid pertinens ad testamentum faciat, testamentum non vitari.

QUINTUM:

De Testamenti Infirmatione.

DE Constitutione testamenti dictum est; jam subiiciuntur contraria, quibus scilicet modis testamentum bene constitutum atque ordinatum infirmetur. Est autem sciendum, quod Testamentum aut non jure fit, aut jure. *§. 6. Inst. quibus mod. testam. infirm.* Non jure factum, est cui solennia juris desunt: *l. 1. in princ. ff. de injust. rupt. & irrit.* Veluti, Si testator non habuit testamenti factionem activam; vel heres institutus non habuit testamenti factionem passivam; vel heredem non instituit, nec expressè exheredavit, quem instituere debebat; vel alia ejusmodi solennia supra dicta, sunt omissa. Unde hoc testamentum à Jureconsultis injustum nominatur; & non opus est infirmari, cum ab initio ac ipso jure nullum sit. *d. l. 1. ff. eod.* Jure verò factum, in quo nihil prædictorum solennium desideratur. Et hoc tam diu manet, usquedum infirmetur. Infirmitur autem, vel officio judicis, vel ipso jure. Officio judicis infirmitur testamentum, quando proponitur querela in officio testamenti: hoc est, testamentum contra pietatis officium, quod parentes liberis & hi vicissim illis debent, esse conscriptum. *l. 1. §. 2. ff. de inoff. testam.* Hæc itaque querela in officio si testamenti, est remedium subsidiarium liberis, aut à patre sine justâ causâ exheredatis, aut à matre præteritis: *l. 9.*

tis. l. 1. 3. & 5. ff. eod. quo petunt, ut iudex suo ex officio testamen-
 tum rescindat; eoque rescisso, sibi ut heredibus proximis heredi-
 tatem adjudicet. l. 6. 7. & l. 15. §. ult. ff. eod. l. 3. C. eod. Ipso
 autem jure infirmatur bifariam: aut enim rumpitur, aut irritum
 fit. §. 1. Inst. quibus mod. testam. infirm. d. l. 1. ff. de injust. rupt. & irri.
 facto testam. Rumpi dicitur testamentum, cum in eodem statu
 manente testatore, ipsius testamenti jus vitatur. §. 2. Inst. quibus
 mod. testam. infirm. Rumpitur autem **PRIMO**, Revocatione
 testatoris: Cum videlicet testator, Aut per Testamentum æque so-
 lenne tollit, quod semel ab eo perfectum est; §. 3. 4. & 8. Inst. eod.
 l. 2. ff. de injust. rupt. & irri. testam. nonnunquam tamen propter
 personarum privilegia, à posteriore imperfecto, prius perfectum
 rumpitur; ut, cum vel jure militari sit factum, vel in eo scriptus est,
 qui ab intestato venire potest: d. l. 2. ff. eod. Aut consultò illud di-
 scindit, cancellat, & sigilla removet. tot. tit. ff. de his que in testam. de-
 lencur. l. 30. C. de testam. Nam cujusque ultima voluntas, usque
 ad ultimum vitæ spiritum, ambulatoria est. l. 4. ff. de adimen. legat.
 Itaque donec testator habere potest animum mutandi testamenti,
 pro non confirmato istud habetur. Neque potest quidem ista li-
 bertas mutandæ ante obitum voluntatis, ullis privatis pactis
 alicui eripi. l. 15. C. de pactis. Nemo enim eam sibi legem potest
 dicere, ut à priori testamento ei recedere non liceat. l. 22. ff. de le-
 gat. 3. Nec si coram Principe factum sit testamentum, irrevoca-
 bile dici potest: obedire enim non cogere voluntates hominum
 in testamentis Principes debent, juxta rescriptum Honorii, &
 Theodosii. l. 19. C. de testam. Quare morte testatoris confir-
 mari testamenta rectè dicuntur, quia tùm demùm facultas aliud
 quàm voluit constituendi de rebus suis illi negatur. Nam idèd
 quoque ultimas voluntates leges prohibent violari, quia nihil tam
 debeatur hominibus, quàm ut firmum habeatur id, cujus mutandi
 non datur porro arbitrium. l. 1. C. de sacrosanct. Eccles. **SECUN-**
DO, Rumpitur Agnatione Sui heredis: l. 1. ff. de injust. rupt. & ir-
 rit. facto testam. quod fit; Vel per Naturalem Agnationem, ut
 quum tùm post testamentum, tùm post mortem testatoris agnosci-
 tur suus

tur suus heres, id est, filius, nepos aut posthumus; *S. 2. Inst. de ex-
 heredit. liber. l. 3. §. 1. l. 13. ff. de injust. rupt. & irri. testam. l. 1. C. de post-
 hum. hered. Vel per Civilem, si ipse testator ante mortem suam, post
 testamenti confectionem aliquem adoptaverit, aut arrogaverit. *S. 2.
 Inst. quibus mod. test. infirm. l. 8. ff. de injust. rupt. & irri. testam.* Irri-
 tum fieri testamentum dicitur, cum testamento nullum offertur vi-
 tium, sed ipsi testatori à quo dependet, aliquid contingit. *l. 6. §. 5.
 ff. eod.* Irritum verò fit, **PRIMO**, Quolibet capitis diminutio-
 ne, quæ testatori accidit. *S. 5. & 7. Inst. quibus mod. testam. infirm. l. 6.
 §. 5. & 6. ff. de injust. rupt. & irri. testam.* Est autem capitis dimi-
 nutio, prioris status sive conditionis commutatio. *S. 1. Inst. de capit.
 diminut. l. 1. ff. eod.* Verùm enim verò tria sunt præcipua, quæ ha-
 bebimus: libertatem, civitatem & familiam. Unde tria capitis
 diminutionis genera sunt orta: Maxima, Minor sive media, Mi-
 nima. *d. §. 1. Inst. eod. l. final. ff. eod.* Maxima capitis dimi-
 nutio est, cum aliquis simul & libertatem & civitatem amittit;
 ut damnatus per capitalem sententiam, vel pro servo venundatus:
Minor sive media est, cum quis civitatem amittit, liberta-
 tem verò retinet; ut is cui aqua & igni interdictum est, vel qui in
 Insulam deportatus est: **Minima est**, quum quis liberta-
 tem & civitatem retinet, familiam tantum mutat; ut emancipatus
 & arrogatus. *S. 2.3. & 4. Inst. de capit. diminut. l. fin. ff. eod.* Si igitur
 testator, vel arrogatus à quoquam fuerit, unde sui juris esse de-
 sinit; vel deportatus; vel capitali iudicio damnatus, ejus testamen-
 tum irritum fit. *d. §. 5. & 7. Inst. quibus mod. testam. infirm. l. 6. §. 5.
 & 6. ff. de injust. rupt. & irri. testam. tot. tit. C. de bon. damnat.* **SE-**
CUNDO, Si testator metu futura pœnæ, mortem sibi conscive-
 rit. *l. 2. in fin. C. qui testam. fac. poss.* **TERTIO**, Non aditâ he-
 reditate. *l. 1. ff. de injust. & rupt. testam.* Delatâ enim alicui hereditate
 vel ex testamento vel ab intestato, in arbitrio ejus est, velit nec ne
 eam adire vel repudiare. Quippe, cum sæpè accidit, ut minus
 quis habeat in facultatibus, quam debeat: Ne cui præter meritum
 aut culpam hereditas delata fieret onerosa; ex benignitate juris
 H ; permittitur,*

permittitur, ut secum deliberet, an sibi expediat, ut hereditatem delatam agnoscat, vel ab eâ abstineat. Deliberare autem nihil aliud est, quàm secum diligenter cogitare, vel in mente suâ revolvere, vel cum amicis explorare, an expediat sibi admittere id, de quo quæritur. Et quò id commodius facere quisque possit, prosperum est à Prætorè heredibus, ut copiam inspiciendorum testamentorum, aliorumque instrumentorum petere possint: ut perinde instruere se possint, expediat nec ne agnoscere hereditatem. *l. 5. ff. de jure deliber.* Estque ejus rei causa, publicâ auctoritate legis facta potestas petendi, ut instrumenta exhibeantur; *juxta ut. ff. testa. quemad. aper. inspic. & describ. & tit. C. eod.* Tempus verò deliberandi, heredibus non angustius centum diebus datur. *l. 2. ff. de jure deliber.* Iterumque peti tempus potest, si probetur prius non suffecisse: *l. 3. & 4. ff. eod.* Ne videlicet præcipitatâ deliberatione, temerè quis adeundo hereditatem damno afficiatur, emergente postea ære alieno. *l. 33. ff. soluta matri.*

Effectus autem deliberationis est, quia interim creditoribus heredes convenire non licet: nec bona diminui possunt, nisi justâ ex causâ id fieri necesse sit, puta, funeris causâ; item eorum, quæ sine periculo non possunt præteriri; puta, vescendi gratiâ, vel ut ædificia sarciantur, vel ne agri inculti sint, vel si qua pecunia sub pœnâ debetur, ut restituatur, vel ne pignora pretiosa distrahantur: *l. 7. ff. de jure deliber.* Idemque est, si res sint in hereditate, quæ tractu temporis deteriores fiunt; adito Prætorè, potest is qui deliberat, sine præjudicio eas justis pretiis vendere: Etiam ea, quæ nimis sumptuosa sunt (veluti jumenta aut vœnalìa) distrahere potest: item ea, quæ morâ deteriora fiunt, vendere: *l. 5. §. ult. ff. eod.* Nec non filius deliberans super hereditate paternâ, beneficium habet, ut alimenta ei ex hereditate dentur. *l. 9. ff. eod.* Quando igitur heres abstinet hereditate, testamentum tanquam desitutum exolefcit, & sic desertum testamentum dicitur irritum esse. Verùm quamvis liberum etiam alicui hodiè sit, isto deliberandi remedio uti, si metuat hereditatem sibi futuram onerosam: tamen hoc remedium

remedium magis observatur, quod novissimè à Justiniano constitutum est; videlicet, ut si nesciat heres quantum in bonis ejus hereditatis sit, ad quam vocatus est, ac proinde dubitet utrum eam adbeat aut non; tùm intra triginta dies, postquam cognoverit sibi ab intestato, vel ex testamento delatam esse hereditatem, inventarium conscribere incipiat, in quo res defuncti sigillatim annotet. & istud intra alios sexaginta dies conficiat: Si tamen res defuncti omnes vel maxima pars, non sunt, in eo loco, ubi heres est; datur illi annum spatium ad conficiendum inventarium. In confectioe autem ejus adhibendus est tabellarius, qui istud describat: item legatarii, vel qui eorum vice sustinent, aut si illi interesse noluerint, aut non potuerint, sufficit adhibitos esse testes ad minimum tres locupletes, & bonæ opinionis, quorum sacramento si alias probationes non habeat, heres testari possit, se nihil in præjudicium cujusquam in occupatione hereditatis egisse: Nomen quoque suum heres inventario propriâ manu subscribere debet, aut si literas nesciat, adhibere alium tabellarium, qui id speciali ejus mandato præsentibus testibus faciat. *l. ult. §. 2. & 3. C. de jure deliber. Novell. 1. cap. 1. §. 1.* Effectus v. hujusmodi inventarii magnus est, & interim dum conficitur, & postea quàm confectus est: Nam interim; si nimirum res præsiò sint, intra tres menses; si verò absuerint, intra annale spatium, non permittitur, neque creditoribus, neque legatariis vel fideicommissariis, heredes, vel inquietare, vel ad judicium vocare, vel res hereditarias quasi ex hypothecarum auctoritate vindicare: *d. l. final. §. 11. C. eod.* Confecto autem inventario, non tenentur heredes creditoribus, nisi in quantum res substantiæ ad eos devolutæ valent; sed nec legatariis tenentur, nisi deducto ære alieno; de reliquo autem, quod super est, licet heredibus detrahere Falcidiam. *d. l. ult. §. 4. C. eod.* Si verò inventarium factum non fuerit, & heres inconsideratè hereditatem adierit, tùm etiam ultra vires hereditatis ad solvenda debita & legata testatoris tenetur. *d. l. final. §. 12. C. eod. d. Novell. 1. c. 1. §. ult. c. Rainaldus. §. penult. extr. de testam.* Quia enim hereditas est successio in universum jus, quod defunctus

defunctus habuit: *l. 26. ff. de reg. jur.* aditâ hereditate, ad omnia debita defuncti obligatur, nisi subsidio legum facto inventario usus fuerit. Si vero heres secum decreverit, quod nolit hereditatem adire, & tamen esset suam voluntatem declarare, tùm nisi intra menses tres, hereditati delatæ renunciaverit, aut alio circuitu faciendi inventarii, se occupatum ostenderit, alienus ab eâ fit hereditate, ac si in eâ institutus non fuisset, sive postea inventa fuerit onerosâ aut lucrosâ. *d. l. final. §. 1. C. eod.* Atque hoc quidem modo non aditâ hereditate, Testamentum novissimo jure fit irritum. Et hæc quidem de unâ Testamenti Solennis specie sufficiant: jam altera sequitur.

Nuncupativum Testamentum est, quando testator coram septem testibus voluntatem suam declarat, heredemq; palàm omnibus testibus audientibus nuncupat. *§. fin. Inst. de testa. ord. l. 21. §. 2. C. eod. l. 21. ff. qui testam. fac. poss.* Nomen habens à nuncupando. Nuncupare autem, est verbis & linguâ pronunciaré. *l. 25. ff. qui testam. fac. poss.* Et quod in lege duodecim tabularum, lex jubet ea præstari, quæ linguâ essent nuncupata, ut refert Cicero *lib. 3. Offic.* Id Ediles in edictum suum transferentes sic expresserunt, ut juberent ea præstari, quæ dicta promissive essent. *l. 1. & l. 17. ff. de edili. edi.* In quo hæc observatio & formâ est, ut testator voluntatem suam de iis, quæ eo testamento post mortem suam fieri velit, nuncupet coram septem testibus adhibitis, quales supra in secundo requisito descripti; idque uno contextu actionis: nuncupet autem palàm, & ita, ut testes exaudiant. Forma comprehensa partim in *d. §. ult. Inst. de test. ord.* partim in *d. l. 21. §. 2. C. eod. & l. 21. ff. qui testam. fac. poss.* Quæ forma sic rectè intelligetur, si notatis hujus actionis partibus, quid singulæ postulent, breviter dixeró. Observandum igitur, quædam hîc communia esse cum testamento scripto, quædam discrepare. Discrepant duo: scriptura & nuncupatio. Scripturam nuncupativum testamentum non desiderat, id est, ubi voluntas palàm nuncupatur coram testibus, illie voluntatem scripto completi non est necesse. *d. §. ult. Inst. de*

ord. d. l. 21. §. 2. C. eod. Discrepat & nuncupatio, quod hæc foliis hujus testamenti propria est: illam testamentum, quod scripto fit, non requirit, *d. l. 21. in princ. C. eod.* Desiderat hæc nuncupatio tria: ut testator voluntatem supremam omnem, quam pro testamento valere velit, nuncupet; ut palam, ut ita, ut testes audiant; ut iisdem locis indicetur. *d. l. 21. C. eod.* Communia verò hæc: Idonea testium conditio; justus numerus; testium rogatio; unus contextus testationis; & reliqua ejusmodi quæ in superioribus quinque requisitis exposita sunt: quænam igitur & qualia sint? ex istis sumendum est.

Hætenus de Testamento Solenni & perfecto, ratione solennitatum, dictum est: Nunc sequitur Minus Solenne, cui forma civilis perfectaque deest. Estque duplex: Codicillus & Testamentum militare.

Codicilli, sunt quædam supremæ voluntatis testatio, quæ legata & fideicommissa, quinque testibus adhibitis, relinquuntur. *l. final. §. ult. C. de Codicillis.* Codicilli vocantur testamenta, minus solenniter propter impedimenta facti, non juris, condita. Nam cum sæpè accideret Romanis Civibus ut peregrè profecti destituerentur facultate Tabelliariorum & testium, quibus adhibitis, solenniter ultimam suam voluntatem declarassent, ac proinde multi cogerentur decedere intestati, cum aliud cuperent: Tandem Augustus jus esse permisit, ut qui solenniter aliquo casu testari prohiberentur, Codicillis ultimam suam voluntatem committerent. *in princ. Inst. de Codicillis.* Atque hæc quidem prima fuit occasio, ut Codicilli haberentur in usu, sed compendium eorum ita placuit, ut non solum eâ commoditate, quæ dixi, impediti, sed etiam sæpè deliberato animo quidam facerent Codicillos, magis quam testamenta: Etenim cum superstitione ac severe exigenter solennitates testamentorum, ne ob quamvis earum negligentiam, facile everti iudicia ultimarum voluntatum possent, receptum est, ut ad cavendum id, testamenta hæc munirentur clausulâ: **S I N O N**
I
valet

valet testamentum jure testamenti, valeat jure Codicillorum. *l. 3. ff. de testam. milit.* Atque dicitur talis clausula Codicillaris, non quia in Codicillis eâ utamur, sed quia metu infirmitatis testamentorum solennium, ad jura Codicillorum minus solennitatum requiruntur, per eam transferuntur. Quis autem, & quàm varius sit hujus clausulæ effectus, explicat Bartolus *circ. l. 1. ff. de jure Codicill.* Est igitur jus Codicillorum propter facilitatem observationis in illis condendis, in multo ac vario usu. Codicilli quatuor modis conficiuntur; id est, confecti confirmantur: *l. 8. ff. de jure Codicill.* Aut enim in futurum confirmantur testamento, quando Codicillos præcedit testamentum, in quo testator ita dixit; **Quicquid in Codicillis per me fiendis dixerò, valere volo:** Aut in præteritum confirmantur, quando testator in testamento sequenti dicit; **Codicillos feci, servari volo:** (hodiè autem neutro casu speciali confirmatione opus est; nam, siue Codicilli præcedant testamentum, siue testamentum præcedat Codicillos, semper videntur Codicilli esse confirmati testamento. *§. 2. Inst. de Codicillis. l. 6. C. eod.*) Aut per fideicommissum, testamento non jure factò, confirmantur; ut si testator condiderit testamentum adhibitis sex testibus, vel septem testibus, inter quos tamen sunt, qui non omni exceptione sunt majores, ut infames, banniti, & adijceret clausulam Codicillarem; **Si hoc meum testamentum non potest valere ut testamentum, valeat ut Codicillus:** *l. final. §. 1. C. de Codicillis.* Aut sine testamento ab intestato; quando quis decedit intestatus, & convocatis quinque testibus, declarat coram eis suam voluntatem, instituendo heredem fideicommissarium. *l. 3. in prin. ff. de jure Codicill.* Quamvis autem magna sit similitudo Codicillorum & Testamenti; tamen necesse est diversam esse eorum rationem, cum diversas habeant appellationes. *l. 7. C. de Codicillis.* Operæ precium itaque videtur, ut videamus quibus conveniant, & quibus inter se variant. Conveniunt: Primò in hoc, quòd quis potest condere testamentum cum scripturâ, vel sine scripturâ: *§. ult. Inst. de testam. l. 21. in prin. & §. 2. C. eod.* Ita quoque Codicilli

dicilli in Scriptis, vel citra scripturam vivâ voce coram testibus fieri possunt. *l. fin. §. ult. C. de Codicillis.* Secundò, potest quisque

facere Codicillos, cui per leges licet facere Testamentum. *l. 6. §. penult. ff. de jure Codicill.* Quos igitur, aut ætatis imbecillitas, aut

mentis inopia, aut sensuum defectus impedit, aut quos leges propter status conditionem, aut scelerum odium prohibent testari; illis nec conceditur, ut Codicillos faciant. Nam Codicilli permissi sunt in subsidium eorum, qui incommoditate faciendi, quod jure possunt, prohibentur sollemniter condere Testamentum: non quibus ipso jure, ea facultas negatur.

Discrepant autem à Testamentis Codicilli: Primò, quia hereditas in Codicillis neque dari, neque adimi, nec exhereditatio scribi, aut conditio institutioni adijci, vel substitui directò potest; sicut in Testamentis. *§. 3. Inst. de Codicillis. l. 2. C. eod.* Et est hæc præcipua differentia, quâ maxime separantur Codicilli à Testamentis; sicut enim Testamentum præstat cæteris ultimis voluntatibus, ita & Codicillos peculiaritèr istâ potestate vincit. *l. 14. C. de testam.* Sed Codicilli rursum

cæteras supremas voluntates superant hæc prærogativâ; quòd etsi directò in illis dari aut adimi hereditas non possit: tamen per circuitum ex fideicommissò, id facere in illis licet. *d. §. 3. Inst. de Codicillis.* Secundò, in Testamentis septem testium numerus & rogatio; item subscriptio, & subscriptio exiguntur: *§. 4. & ult. Inst. de testam. l. 21. in princ. C. eod.* In Codicillis autem quinque tantum testes etiam non rogati; nec signacula, vel subscriptiones requiruntur. *l. final. §. ult. C. de Codicillis.* Unde Justinianus ait: Codicillos nullam sollemnitatis ordinationem desiderare. *§. final. Inst. eod.*

Hæc autem obiter sciendum est, quòd hi duo numeri, Septenarius & Quinarius, in Testamentis conficiendis, ob Pythagoreorum auctoritatem, eorumque rationem, à Sacratiss. Imperatore Justiniano ejusque Antecessoribus sunt accersiti, approbati & confirmati. Tertio, Codicillos plures quis facere potest; *d. §. final. Inst. de Codicillis.* nec primus per secundum rumpitur, nisi secundus contradicat: *l. 3. C. eod.* Testamenta autem duo, ut

utrumque teneat final, nemo facere potest; quia primum semper
 1 2 rumpitur

rumpitur per posterius; §. 4. *Inst. quibus mod. testam. infirm.* nisi fierent à milite duo testamenta, tunc utrunq̄ valeret, & teneret simul cum alio. *l. 19. ff. de testam. milit.* Quarto, In Testamentis duntaxat masculi testes esse possunt: In Codicillis verò etiam foeminae adhiberi possunt. *gloss. in l. 20. §. 6. ff. qui testam. fac. poss.* Quintò, Per Agnationem posthumi rumpitur Testamentum: §. 2. *Inst. quibus mod. testam. infirm. l. 3. ff. de injust. rupt. & irrit. testament.* Sed Codicilli, si ab intestato facti fuerint, per Agnationem posthumi non rumpuntur. *l. 3. ff. de jur. Codicill.* Infirmantur autem Codicilli illis ipsis modis, quibus Testamenta; si fiant ab eo, qui condidit testamentum: Si verò fiant ab eo, qui vult decedere intestatus; non infirmantur Agnatione posthumi. *d. l. 3. ff. eod.* Dicitur est de Codicillis: nunc Militare Testamentum sequitur.

Testamentum militare est, quod miles facit.

Quia verò Militaribus, cum propter occupationes publicas, jurisq; ignorantiam, tum favore militiæ, aliter testamentum condere quam Togatis, ex Constitutionibus permiffum est. Videndum ergo, quis sit miles; unde dicatur; quæ sint ejus privilegia; quandiu durent; qualiter amittantur; & quomodo ejus testamentum infirmetur.

Est autem Miles, ut ait Vegerius de re militari, qui jurat se non evitaturum mortem propter salutem Reipublicæ. Nec sufficit, si est aliquis electus tyro, & publicis expensis facit iter; debet enim in numeros militum referri: *l. 42. ff. de testam. milit.* Id est, in matriculam, vel tabulam, in quâ scribebantur omnia militum nomina.

Idemque est, si confessim jussus est cingi. *l. penult. ff. eod.* Dicitur Miles à militia; id est, duritiâ, quam pro nobis sustinet: vel à multitudine: aut à malo, quod solent milites arcere: aut à numero mille hominum, forte quòd de mille unus præcipuus eligebatur: & strenuus in militem, quasi millesimus dicitur. *l. 1. §. 1. ff. eod.*

Milites privilegia in testando habent: Verùm distinguitur utrum sint in militia vel expeditione; an extra militiam vel in suis ædibus, vel aliis in locis. Si sunt citra expeditionem in suâ domo, vel alibi: Jure Communi debent

debet testari. *S. 1. Inst. eod. l. penult. C. eod.* Nam cessante causa, & illius effectus cessare debet. *l. ult. C. restitut. milit.* Si autem sunt in expeditione: si quidem sunt in conflictu belli & in extremo vitæ periculo, licet eis testari quoquo modo velint, & quoquo modo possint; nudâ semper testatoris voluntate sufficiente. *d. l. 1. f. eod.* Proinde si quid in vaginâ, mucrone, aut in clypeo literis sanguine suo rutilantibus annotaverint, aut in pulvere inscripserint gladio sub ipso tempore, quo in prælio vitæ sortem derelinquant; stabilis erit eorum voluntas. *l. 15. C. eod.* Si verò non sunt in expeditione, aut conflictu belli, vel vitæ periculo: saltem debeat duos testes adhibere, ut voluntatem suam testentur coram eis; & declarent quem velint sibi heredem esse, & cui libertatem tribuant, vel legatum relinquunt. *l. 24. cum gloss. in verbo convocatis ff. de testam. milit.* Caterùm nec interest, utrum milites testamenti factionem habeant, nec ne; ut sardi, muti, incerti an sint sui juris, vel filisfamiliâs; *S. 3. 5. 6. Inst. de milit. testam. l. 4. 6. l. 11. S. 1. 6. 2. ff. eod.* dum tamen mentis sint compotes: *l. final. C. eod.* Item instituti à militib. heredes factione testamenti habeant, an non; ut deportati, & ceteri ejusmodi; *l. 13. S. 2. ff. eod.* Mulieres tamen, in quas turpis suspicio cadere potest, nec ex testamentis militum aliquid capere possunt; *l. 41. S. 1. ff. eod.* nisi forte tempore mortis bonæ opinionis inveniantur: *d. l. 13. S. 2. ff. eod.* Item, an in diem, an ex die, an ad diem, an sub conditione: quia pro parte testati, pro parte intestati decedere possunt. *l. 6. 6. 41. ff. eo.* Durat autem privilegium militum, quousque sunt in malitiâ; item si posteaquam missi sunt malitiâ, moriantur intra annum: nec distinguo, an conditio institutionis extet intra annum, an postea. *S. 4. Inst. milit. testam. l. 21. 6. 38. ff. eod.* Est tamen hoc intelligendum de his, qui dimissi sunt militiâ honestè, & causariè: Eorum enim qui dimissi sunt ignominie causâ, statim desinunt testamenta jure militari valere. *l. 26. ff. eod.* Amittunt milites hujusmodi privilegium, qui damnati sunt de crimine capitali. Distinguendum tamen, damnati sint de crimine communi, an militari: Si de crimine communi, non licet eis amodò testari: Si autem damnati sunt

sunt de crimine militari (ut quia alienaverit quis arma, vel rem sibi prohibitam à Duce gesserit, vel similia, quæ numerantur *l. 2. & 3.*) distinguendum, utrum sint damnati de fide ruptâ, an ex aliis: Si de fide ruptâ, non licet eis testari: Si autem sunt damnati de alio crimine militari; Si quidem iudex, qui damnavit eum, non concessit ei in ipsâ sententiâ testari, nullo modo testabitur: Si verò concesserit ei testari; poterit, idque duntaxat super bonis castrensibus. Et colligitur hæc distinctio *l. 1. ff. de vetera. suc. l. 11. ff. de testam. milit. l. 6. §. 6. ff. de injust. rupt. & irrit. testam. l. 32. §. 8. l. 22. §. 1. ff. de legat. 3.* Infirmatio quoque Testamenti tota dependet ex unâ militis potestate, nec quidquam hinc nocet adversus voluntatem. Meminimus jure Communi Testamenta ita infirmari, ut nihil hinc per se voluntas testatoris valeat, vel ad retinendum Testamentum, vel ad repudiandum. Multis enim modis infirmari, etiamsi testator nolit. Ut autem velit infirmatum, non tamen rescindi, nisi quid aliud confecerit, aut ruperit sive cancellaverit tabulas. Hæc contra in milite. Si miles testamentum suum irritum esse non vult, nullus casus postea interveniens Testamentum infirmabit, *l. 7. 8. 9. 19. 22. & l. 36. §. 4. ff. de testam. milit.* E converso, si vult Testamentum à se conditum non valere: Sicut nudâ voluntate facere potest, ita & mutare: Et mox si valere voluerit, valebit ex supremâ voluntate, *l. 15. §. 1. ff. eod.* Atque ita

huic Tractatui extremam manum, auxiliante

D E O, imposui :

*Cui soli, vero, justo, immense potentia & bonitatis D E O,
Patri aeterno, cum Filio suo Domino & redemptore nostro Jesu
Christo, & Spiritu Sancto, Conditori & Conservatori omnium
rerum, & imprimis Ecclesie sue ac honestorum studiorum,
quæ Ecclesie ancillantur, sit laus, honor &
gloria, in omnes aeternitates,*

A M E N.


THE HISTORY OF THE


Faint, illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page.


Faint, illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page.


Faint, illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page.




















www.books2ebooks.eu